1844

SPIRITUS SS. P.N. BENEDICTI.

PARS TERTIA.

Continens Meditationes a ſecundo Julii uſque ad primum Octobris.

JULIUS.

DIES II.

IN FESTO VISITATIONIS B. V. MARIÆ.

De Officiis Charitatis.

Sibi ſub charitate invicem ſerviant. Cap. 35. v. 6.

PUNCTUM PRIMUM.

BEatiſſima Virgo religioſa pro officio, feſtina præ gaudio pergit in montana ad ſerviendum prægnanti Cognatæ ſuæ Eliſabeth. Non abhorret Virgo a communi ſervitio mulierum. Amor non cogitat, quam vile ſit, quod agit; dummodo ſerviendo poſſit amare. Hoc ipſum expoſcit SS. Pater, dum Cap. 35. præcipit: *Sibi ſub charitate invicem ſerviant.* Nihil ſic amorem mutuum provocat; quam cum quivis ad exercitia communia ſuam

opem contribuit. Sic alter alterius onera portat. Et dum ab omnibus communi consensu portantur, vix sentitur onus. Quod si quidam portare negligant, jam cæteris dupplicatur onus. Hinc sub onere gemunt, aut murmurant. Subinde, & ipsi oneri cedunt. Tu ergo hanc charitatem nunquam intermitte, ne onus disciplinæ cæteris reddas intolerabile. Sequere B. Virginem, quæ ex fervida charitate communibus mulierum ministeriis cum gaudio se addicit. Imitare SS. Patrem. En! Fratres in Choro, in Agro, ubique juvat.

PUNCTUM SECUNDUM.

EXurgens Maria abiit in montana cum festinatione, ut Prægnantem Cognatam in ministeriis rei domesticæ adjuvet. Et hoc statuit SS. Pater, ut Fratres *sibi sub charitate invicem serviant. Portarius, si indiget solatio, juniorem Fratrem accipiat. Coquis, si indigent, solatia administrentur. Imbecillibus procurentur solatia. Habeant omnes solatia secundum modum Congregationis.* Vide, quam impense nobis commendet SS. P.; ut Fratrem Frater adjuvet in ministerio suo. Ratio ipsius corporis monastici id postulat. Congregatio quippe religiosa sic consistit unitate singulorum, sicut corpus nostrum unitum est compage membrorum. Alia sunt namque membra in corpore, quæ intuendæ luci deserviunt; alia, quæ a terreno actu minime disjunguntur. Oculus quippe luci intenditur, & ne cæcari

cari valeat, a pulvere custoditur. Pes vero tunc suum officium recte peragit, cum suscipiendum terræ pulverem non refugit. Quæ tamen corporis membra vicissim sibi sua officia impertiendo ita copulantur, ut pes oculis currat, & oculus pedi prospiciat. Sic itaque sic Congregationis monasticæ membra debent & officio esse distincta, & charitate conjuncta, ut unum alteri in suo officio ex dispositione capitis solatium afferat & adjutorium. *Maxima hinc charitas acquiritur.*

PUNCTUM TERTIUM.

EXurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Quare? Ut quemvis domesticum speciali afficeret beneficio. Ut enim salutavit Elisabeth, repleta est Spiritu sancto. Ut audita est vox salutationis ipsius, exultavit Joannes in utero per Verbum Dei sanctificatus. Zachariam de Mysterio Incarnationis edocuit. Tanta operata est mira officiosa charitas Virgineæ Matris. Ad hanc hortatur SS. Pater, *ut Fratres sibi sub charitate invicem serviant.* Charitas hoc modo rite adimpletur. Non enim, ait Discipulus amoris, diligamus solum lingua, sed opere, & veritate. In hoc debet esse unicus Religiosorum zelus, ut alter alterum honore, amore, & obsequio præveniat. Haud secus ac grana mali punici sic se habere debent. Charitas, quæ cortex est, eos proteget. Obsequia charitatis invicem jugiter cohærere faciant. Sint velut civitas munita.

Et nullus adverſarius eis prævalere poterit. Ah! quanta olim hujus charitatis contentio? Unus alterius miniſterium ſupplere conabatur. Unus alteri ſervire contendebat. Lego de quodam, quod plures cellas ædificaverit, eo tantum fine, ut adventanti Fratri cum tota ſuppellectili eam cederet. Charitas plane ingenioſa eſt, ſi magna, ut ubivis dilectum obſequiis charitatis præveniat. Modo opera charitatis ſpiritualia, modo corporalia impendit.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! ad exemplum B. V. Confratres adjuvas in communibus Monaſterii exercitiis? Si communia refugis exercitia, & ſingularium meritum amittis. An in officiis conſtitutos libenter obſequiis juvas? Cogita. Membrum es de membro. An cuilibet ex charitate ſervire contendis? Amorem inæſtimabilem tibi concilias. Dole, quod hucusque officiis charitatis non ſtudueris. Propone

1. In exercitiis communibus omnes Confratres,
2. In officiis Officiales ex diſpoſitione Superiorum, &
3. In quacunque occaſione quemvis obſequiis charitatis adjuvare.

DIES

DIES III.

De Ruinis Religioſorum.

Neceſſe eſt animas periclitari. Cap. 65. v. 8.

PUNCTUM PRIMUM.

N*Eceſſe eſt*, ut ait SS. P. N. *animas periclitari* primo, ſi fervor primus deficiat. Florem enim in germine extinguit pruina, & tepor fundamentum virtutis evertit. A facie frigoris ejus quis ſuſtinebit? Hoc frigus, ſi ſemel animam pervaſerit, perturbaverit judicii lumen, concuſſerit affectiones, libertatem adduxerit ſpiritus, ut febricitantes ſubit quidam animi rigor. Vigor lenteſcit. Languor fingitur Virum. Horror auſteritatis intenditur. Timor ſolicitat paupertatis. Contrahitur animus. Subtrahitur gratia. Protrahitur longitudo vitæ. Sopitur ratio. Spiritus extinguitur. Deferveſcit novitius fervor. Ingraveſcit tepor faſtidioſus. Refrigeſcit fraterna charitas. Blanditur voluptas. Fallit ſecuritas. Quid plura? Diſſimulantur Regulæ. Abdicantur occulte vota. Derelinquitur timor Domini. Sic florem omnem primi fervoris. Aquilo teporis perdit. Ut rurſus vinea floreat, & det odorem virtutis neceſſe eſt, *non eſſe pigrum.* Oportet, ut ad primum fervorem quotidie ſe excitet. *Amice ad quid veniſti?*

PUNCTUM SECUNDUM.

N*Eceſſe eſt, animas periclitari* ſecundo ſi ſub ſpecie zeli boni, aut utilitatis communis

ſubit deſiderium prædicandi, convertendi animas, aut alia Monaſterii officia obeundi. Sane timet propheticum incurrere maledictum, ſi quæ abſcondito accepit frumenta, abſcondat in populis. Hinc Superioribus, blandimentis, & precibus per ſe, aut alios jugiter moleſtus eſt, donec deſiderio ipſius annuant. Vulpecula hoc deſiderium eſt, quod demolitur vineam. Nam cum adeptus eſt, quod tamdiu concupivit, totum ſe officio ſuo impendit. Obliviſcitur ſui ipſius. Exercitia ſpiritualia aut omittit, aut perfunctorie peragit. Raro ſe recolligit; vel ſi recolligit, hoc ipſum tepide agit. Paulatim & quaſi neſciens minima ſacræ Regulæ transgreditur præcepta. Ratione officii liberior fit, ut ſolitudinem, & mortificationem horreat. Sic miſer paulatim totus de ſtatu ſuo cadit. Sed cape vulpeculam. Primo Moyſes ait: non arabis in primogenito bovis. Hoc Paulus interpretans: non Neophytum, inquit, ne in ſuperbiam elatus, incidat in judicium Diaboli. Rurſus. Nec quisquam ſibi aſſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Monachi officium eſt non docere, non domeſticare, ſed lugere, & orare. Libentius volo, ajebat quidam Patrum, exercitia mea, etſi exigua, in ſolitudine cum puritate cordis Deo offerre quam multa præclara externa opera, quæ plurimis imperfectionibus ſcatent, coram hominibus peragere. Deo enim ſolum gratum eſt, quod purum, atque ex omni parte perfectum. Ex his ergo texe tibi rete. Cape hanc vul-

vulpeculam, ne demoliatur vineam tuam. *Sine jussione Abbatis nihil fac.* Tibi ante omnia, non aliis intende.

PUNCTUM TERTIUM.

N*Ecesse est, animas periclitari* tertio, si absque discretione exercitia mortificationis, vel pietatis assumant. Quidam enim fervore insano correpti, abstinentia, cilicio, flagellis ita corpus extenuant, ut onera communia amplius ferre nequeant. Alii orationi, meditationi, & actibus virtutum tam crebro, & diu vacant, ut fatigati necessario desistere debeant. Ex qua indiscretione sequitur, quod mortificationem ceu noxiam, spiritualia vero exercitia ceu intolerabilia aspiciant, & cum tædio abjiciant. Hoc vero spirituali tædio, & nausea affecti, nunquam ad perfectionem Religiosam surgunt. Cape has vulpeculas. *Discretio mater virtutum est. Nihil age sine Patris spiritualis voluntate.* Paulatim, & cum longanimitate multo altius ascendes. Nescio utrum plures nimius fervor, vel nimius tepor a gradu vocationis suæ dejecerit. Hoc ex vitis Patrum disco, quod multo gravius lapsi sint, qui primo, quam qui altero modo decepti sunt. Angelus quippe Sathanæ eo periculosius sagittat in obscuro rectos corde, quo se amplius sub specie boni transfigurat in Angelum lucis. Oportet ergo hujusmodi spirituales bestiolas omni cautela observare, per discretionem capere, & confidentia ad Patrem

ſpiritualem comprehendere in aſtutia ſua. Secus demolientur vineam, ut fructum nullum amplius afferat.

PUNCTUM QUARTUM.

AN non, o Religioſe! periclitatur anima tua; quia primum fervorem amiſiſti? Habeo aliquid adverſum te; quia primam charitatem dereliquiſti. An non periclitatur anima tua; quia officio externo plusquam interno vacas? Quid proderit; ſi mundum univerſum lucreris, animæ vero tuæ detrimentum patiaris. An non periclitatur anima tua; quia nullam diſcretionem ſervas? Non ignores aſtutias Sathanæ, neque cogitationes ejus. Dole, quod inadvertenter tot ruinas, & pericula animæ tuæ incurreris. Propone

1. Fervorem primum ſemper inſtaurare, ne illum amittas.
2. Tuo officio ante omnia vacare, ne pereas agendo aliud.
3. Diſcretioni Patris ſpiritualis te ſubjcere, ne decipiaris, & feſſus retroſpicias.

DIES IV.

De Septimanariis coquinæ.

Septimanarii hora refectionis ſerviant Fratribus ſuis. Cap. 35. v. 14.

PUN-

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctiſſimus Pater tria Servitori ad menſam præſcribit. Primum eſt, ut *accepta benedictione ingrediatur, & egrediens de Septimana accipiat benedictionem.* Jure SS. Pater duplicem benedictionem a Servitore peti ſtatuit. Una neceſſaria eſt, ut auxilium Divinum impetret rite ſuum officium adimplendi. Altera opus habet, ut gratus ſit pro collato ſubſidio. Pro auxilii Divini impetratione præſcribit verſum: *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me feſtina.* Hic namque verſiculus competenter applicatur ad impetrandum Divinum auxilium. Continet enim invocationem Dei contra pericula. Continet humilitatem pie confeſſionis, vigilantiam ſpiritualis ſolicitudinis, conſiderationem propriæ fragilitatis, confidentiam exauditionis, atque præſentis, ac ſemper aſtantis Divini ſubſidii. Iſte verſiculus omni in occaſione, omni in loco, omni in ſtatu utiliter applicatur. Sed & maxime Servitori opus eſt, ut absque murmuratione, vel tædio Fratribus inſerviat. Pro gratiarum actione SS. Pater aſſignat iſtum verſiculum: *Benedictus es Domine Deus, qui adjuviſti me, & conſolatus es me.* Et congruenter. Hoc enim verſiculo Deo adſcribitur, quidquid bene actum eſt. Hoc verſiculo propriam defectuoſitatem agnoſcimus. Hoc verſiculo dignas Deo grates agimus pro collato cœleſti auxilio. Sic grati ampliores meremur vires, & gratias ex alto.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

ALterum eſt, quod SS. Pater Servitori injungit, ut *ſub charitate ſerviat.* Tanti æſtimat hoc charitatis obſequium, ut neminem velit excuſari ab hoc officio; *niſi aut ægritudine, aut in cauſa gravis utilitatis quis occupatus fuerit.* Nec imbecilles excipit, ſed vult, ut *ipſis procurentur ſolatia.* Et jure; *quia exinde major merces, & charitas acquiritur.* Ipſemet Salvator exemplo præivit. Surrexit de cœna. Linteo pedes lavit Apoſtolorum. Eis inſerviit. Beati erimus, ſi ſecuti fuerimus eum. O quis ergo libenter non inſerviret Fratribus ſuis? Chriſti perſonam ſuſtinet. Idem agit, quod Chriſtus egit. Humilitatem, & charitatem ipſius imitatur. Beatitudinem brevi, & facili labore aſſequitur. Pudeat te, ſi Fratribus inſervire dedignaris. Si enim Dominus, & Magiſter tuus Apoſtolis ſervire dignatus eſt, quanto magis tu Fratribus ex charitate ſervire debes. Et tamen quoties te vel ob ſuperbiam, vel ob laborem ab hoc ſervitio ſubtrahis? Time, ne ſicut SS. Pater ſuperbum illum, & delicatum Monachum, quem puduit, ac tæduit lucernam ejus ad menſam tenere, ab officio Servitoris amovit, ita & te amoveat. Perdes deinde mercedem beatitudinis a Chriſto promiſſæ, & charitatem.

PUNCTUM TERTIUM.

TErtium eſt, quod SS. Pater a Servitore exigit, *ut absque triſtitia, & ſine murmuratione*

tione hora refectionis Fratribus serviat. Ob hoc *ante unam horam refectionis concedit ipsi biberem, & panem.* Jure. Nam qui cum tristitia, aut murmuratione hoc facit, nullam mercedem acquirit. Pœnam murmurantium incurrit. Charitatem non exercet. Obsequium ipsius nec Deo, nec fratribus acceptabile esse potest. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et cur non cum gaudio servires? Ecce! merces promittitur illi, qui tantum potum aquæ frigidæ porrexerit. Ecce! laudantur, & ad dexteram collocantur, qui uni ex minimis JEsu Christi sitienti, & esurienti bibere, & manducare dederunt. Ecce! S. Carolomannus Princeps, factus Cassinensis Monachus Lixæ in culina multo tempore operam navat. Ecce! Bathildis Regina Lotharii Imperatoris Mater in eodem servitio multum sedula est. Ecce! Radegundis Galliæ Regina ambitiosissimo studio non solum per suam, sed etiam extra suam Septimanam Sororibus ad mensam ministrat, & earum pedes lavat. Quis ergo es tu, ut cum tristitia, aut murmure hoc officium obeas? An nobilior his? An delicatior, & imbecillior istis?

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! humiliter ante tuam Septimanam Divinum imploras auxilium, & post eam Deo gratias pro collato subsidio rependis? Sine hisce Benedictionibus Benedictionem cœlestem non obtinebis. An ex magna charitate Fratribus exemplo Christi ad mensam

ſam ſervis? Quo major charitas, eo major merces erit. An absque triſtitia, & murmuratione ſervis? Indignus es hoc dominico miniſterio, ſi vel a longe triſtitiam prætendas. Dole, quod hucusque hoc ſacrum Exercitium non digne æſtimaveris, & obieris. Propone

1. Ante & poſt tuam Septimanam devote Benedictiones accipere.

2. Ex charitate magna ad exemplum JEſu Chriſti.

3. Absque murmuratione, aut triſtitia Fratribus ad menſam ſervire.

DIES V.

De Scientia Religioſa.

Lectiones ſanctas libenter audire. Cap. 4. Inſtr. 56.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctiſſimus Pater Noſter liberiori genere ex provincia Nurſiæ exortus, Romæ liberalibus litterarum ſtudiis traditus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quaſi in ingreſſu mundi poſuerat, retraxit pedem: ne, ſi quid de ejus ſcientia attingeret; ipſe quoque in immane præcipitium totus iret. Nil ſic nocet Monacho, ut ſcientia mundi. Quid enim ad Monachum novellæ? Quid ad eum hiſtoriæ de Prin-

Principibus? Quid ad eum ſcientiæ de Aſtrologia, & ejusmodi? Non judicabitur de illis, ſi neſcierit. Judicabitur, ſi inde, ut aſſolet, ſuperbierit. Si, ut ſolet, deſiderium lectionis ſacræ amiſerit. Si propterea ſpiritum compunctionis, devotionis, & religioſæ mortificatioois perdiderit. Si propterea obligationes ſtatus ſui vel ignoret, vel implere omittat. Si propterea plus ad ſcientiam inutilem afficiatur, quam ad diſciplinam. Tu ergo præter eam, quæ ad curam animæ tuæ, & aliarum animarum ſpectat, nullam aliam addiſcere ſcientiam ſtude. Nullum quippe tempus tibi ſupererit, ſit hanc ex fundamento ſcire laboraveris. Cum SS. P. deſpectis inutilibus, & non neceſſariis litterarum ſtudiis, eſto ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus. *Lectiones ſanctas* ad ejus exemplum, & monitum, *libenter audi & lege ex Regula S. Patris noſtri Baſilii, collationibus, inſtitutis, & vitis Patrum, nec non libris Sanctorum Catholicorum Patrum, atque præ omnibus ex paginis divinæ auctoritatis veteris, ac novi Teſtamenti.*

PUNCTUM SECUNDUM.

NIl ſi contrarium eſt vocationi Religioſæ, quam ſcientiæ mundanæ, inutiles, ac infructuoſæ. Status namque Monaſticus eſt ſtatus pœnitentiæ. Hinc Monachus tenetur in ſolitudine, in ſilentio, in ſimplicitate, & humilitate Deo ſervire. At quantum non contrariantur huic vacationi ſcientiæ mundanæ, atque

que infructuosæ? Quid magis inflat, quam scientia? Quid majorem mundi gloriam accersit, quam scientia? Quid obedientiæ jugum sæpius confringit, quam scientia? Quid spiritum mundi magis implantat, quam scientia? Quid spiritum vocationis citius extinguit, quam scientia? Pro dolor! quot tragicas experientias non numeramus hoc tempore? Tu ergo præter ea, quæ ad tuam vocationem, & curam animarum spectant, nihil disce. Quid turbaris erga plurima? Unum est necessarium, ut scias JEsum, & hunc Crucifixum. Ab hoc *Lectiones sanctas libenter audi!*

PUNCTUM TERTIUM.

IMo quam plurimum profectum spiritualem impedit ipsum studium S. Lectionum, si ad inutilem tantum scientiam assumatur. Pabulum est internarum passionum. Origo est superbiæ, vanæ gloriæ, propriæ existimationis, curiositatis. Causa est ariditatis internæ, variarum distractionum, multarum perturbationum, ut fervor ad actus virtutum, atque ad exercitium Regulæ sensim intepescat, frigeat. Ad quid enim verbum auditum, & non creditum? Ad majorem damnationem cedit. Ad quid veritas intellecta, & non opere perfecta? Ad obcæcationem mentis, ad obdurationem cordis cedit. Non enim cognitores, sed factoris legis justificabuntur. Et sane scientia Sanctorum non obtinetur, nisi per exercitium sanctitatis. Unde suam scientiam hau-

serunt

ferunt SS. Antonius, Pachomius, Hilarion, SS. Pater Noster institutores orientalis, & occidentalis Monastices? Ipsorummet testimonio non aliunde, quam ab exercitio eorum, quæ in sacris Scripturis legerunt. Hoc modo & tu *sanctas Lectiones libenter audi*, & ad profectum tuum semper utiliter scientiæ Sanctorum vacabis.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! abjicis scientias inutiles, quæ non conducunt ad tuam, aut proximorum salutem? Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere a malo intelligentia. An abjicis infructuosas scientias, quæ repugnant vocationi tuæ? Qui custodit legem, filius sapiens est. An etiam in scientia S. Lectionum non meram intelligentiam, sed fructum spectas atque profectum? Sapientia, quæ desursum est, pudica est, pacifica, modesta, plena fructibus bonis. Dole, quod plus scientiæ sæculari, quam Religiosæ te addixeris. Propone

1. Despicere, ac relinquere scientias inutiles ad curam animarum,
2. Contrarias vocationi tuæ, &
3. Curiosas, atque infructuosas ad profectum spiritualem.

DIES VI.

De caufis non murmurandi contra victum.

Ubi autem loci neceffitas expofcit, ut nec fupra fcripta menfura inveniri poffit, fed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent. Cap. 40. v. 7. Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam Sextæ quam Nonæ omnibus menfis cocta duo pulmentaria. Cap. 39.

PUNCTUM PRIMUM.

S. Pater memor Ifraëlitici murmuris fuper Manna, & Vindictæ Divinæ, quæ afcendit fuper eos, dum adhuc efcæ erant in ore ipforum, ftatuit: *Ubi autem loci neceffitas expofcit, ut nec fupra fcripta menfura inveniri poffit, fed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent.* Quare? Monachus fua, & aliorum peccata plangere tenetur. Unde omnes antiqui S. Monachi, & Eremitæ jejunio, & victu vili, ac duro contenti erant. S. Antonius primum poft quemvis tertium diem parum panis cum fale, & aqua fumebat. S. Dorotheus per 60. annos 6. unciis panis cum aqua, & aliquibus herbis corpus reficiebat. Dixerat enim fibi fenium objicientibus: Corpus meum

meum mortificabo; quia & me mortificat. SS. Patri nostro jejunium ferme cibus quotidianus erat. Hinc & suis cibum vilem, ac obvium præscripsit: *Duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant.* Quomodo enim Monacho conveniat cibus delicatus, cujus unicum officium est plangere? Et quomodo murmurabit? super victum, qui se vestigiis SS. PP. insistere profitetur?

PUNCTUM SECUNDUM.

SI *nec supra scripta mensura inveniri possit, sed multo minus, non murmurent.* Quare? Vita Monachi perpetua mortificatio esse debet. Nihil enim sic Religiosæ mortificationi contrarium est, sicut victus delicatus. Gustum satiat. Libidinem provocat. Scurrilitatem, & levitatem excitat. Spiritum compunctionis tollit. Orationis gratiam aufert. Econtra victus vilis, & parcus gustum mortificat. Castimoniam corporis conservat. Spiritum compunctionis auget. Orationis gratiam conciliat. Natura quippe in vili, & parco victu nihil delicatum, aut superfluum invenit, quo leges temperantiæ transgrediatur. Concoctio quoque cum sit brevior, vaporibus multum, aut diu cerebrum non impedit, ne statim orationi, aut meditationi incumbere possit. Quomodo ergo murmurabit super vilem, & parcum victum, qui mortificationem carnis habitu, & professione profitetur? Væ illis Religiosis, quibus nec terra, nec mare sufficien-

tes ad guſtum delicias progerminare poteſt! nonne opere comprobant, quod nondum ſpiritu, ſed carne vivant? Væ illis Religioſis, qui ſemper ſatiantur multitudine, & varietate ciborum? Nonne Deo per habitum, & tonſuram mentiuntur; ſæculo autem ſervant fidem?

PUNCTUM TERTIUM.

SI *nec ſupra ſcripta menſura inveniri poſſit: ſed multo minus, non murmurent.* Quare? Paupertatis ſtatus hoc exigit. Aſpice pauperes. Atro pane, & aqua contenti ſunt. Grati ſunt, cum ipſis unum tantum fruſtulum datur. Delicias feſtivas reputant, ſi in anno ſemel, aut bis parum carnis, aut vini deguſtare poſſunt. Quomodo ergo Religioſus, paupertatem profeſſus, delicias victus ſine transgreſſione voti amplectetur? Quomodo murmurare audebit, ſi cibi ad guſtum non ſatis præparati, aut ad gulam numeroſi apponuntur? Nunquid hac ſua murmuratione Confratres contriſtat, ſæculares ſcandalizat, omnibus ſe hypocrytam demonſtrat? O quam multi ſæculares optant ſaturari de micis, quæ cadunt de menſis Religioſorum! pudeat igitur Religioſum murmurare verbo, aut quovis ſigno ſuper victum. Imo ſi ex omnibus, qui apponuntur, cibis omnino nihil pro ſe ſumere poſſit, *benedicat Deum & non murmuret.* Cogitet illud SS. Patris ſui: Hodie quidem minus eſt, cras autem abundanter habebis. Nihil deeſt timentibus Deum.

PUN-

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! contentus fuisti vili victu ad exemplum SS. Patrum propter spiritum compunctionis? Nullum in vitis ipsorum, nec in fastis SS. Ordinis tui reperies, qui non omni vilitate, & extremitate fuerit contentus, pœnitentiæ sapor cibos eorum condiebat. An vili, & parco victu contentus fuisti, quia statui mortificationis te ultro addixisti? Nullus sine mortificatione Monachus est. An vili, parco, ac duro victu contentus es propter votum paupertatis? Pauper non est, qui deliciis divitum pascitur. Dole ergo, quod tam sæpe super cibum, & potum murmuraveris. Propone, vili victu contentus esse ad exemplum SS. Patrum

1. Propter spiritum compunctionis,
2. Propter mortificationem carnis,
3. Propter votum paupertatis.

DIES VII.

De malo pro malo non reddendo.

Malum pro malo non reddere. Cap. 4. Instr. 29.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctissimus Pater Noster præclare hoc instrumentum observavit. Nunquam enim malum pro malo reddidit, sed benefecit

illis, qui oderant ipſum. Sic oravit pro perſequentibus Monachis, & Florentio impio illo Presbytero. Ad hoc ipſum nos hortatur, dum Cap. 4. Inſtr. 29. cavet, *ne malum pro malo reddamus.* Tria autem hoc inſtrumento præcipit. Primum eſt, *ne malum pro malo reddamus.* Quid enim juvat malum pro malo reddere? Dum malum pro malo reddis, inimicum tuum ad novum malum, & tibi irrogandum obarmas. Hoc accepto nec tu deſiſtes malum rurſus illi inferre. Ita malorum nullus erit finis. Miſerrimam duces vitam. Continua amaritudo, quam foves in pectore, ſolatium omne reddet amarum. Cibus & potus, ſomnus, & requies non ſapient. Et quod caput eſt; quia Fratrem perſequeris, Deus te perſequitur. Et qualis eſt hæc perſecutio? Animam, & corpus usque ad medullas oſſium conſumit. Hoc Patres in lege naturæ animadvertentes, nunquam malum pro malo, dentem pro dente, oculum pro oculo reddiderunt. Job, antequam Dominus præcepit, inimicos eſſe diligendos ait: Si lætatus ſum ad ruinam ejus, qui me oderat, & gaviſus ſum, quod inveniſſet eum malum. Si dixi in corde meo, bene factum eſt. Sequere eum propter pacem. Secus non erit pax oſſibus tuis.

PUNCTUM SECUNDUM.

ALterum eſt, ut benefacias his, qui oderunt te. Non enim ſufficit *malum pro malo non reddere.* Semper occultum odii virus

te

te depaſcetur, quouſque benefacias. Uno actu opus eſt, ut inimicum rurſus ſincere, diligas. Si vel ſemel dulciter aſpexeris, amicabiliter allocutus fueris, aut obſequium quoddam præſtiteris, reſtituiſti primam tibi charitatem. Ordine autem ad hanc aſcendendum eſt. Primitus malum a Confratre illatum pure de manu Domini ſuſcipiendum eſt. Secundo. Damna ex hoc malo ſecutura Divinæ Providentiæ committenda ſunt, quæ omnia ad ſalutem diſponet. Tertio. Crebri actus amoris cum oratione pro Confratre eliciendi ſunt. Hisce interna amaritudo paulatim dulceſcet, ut ſine periculo novæ commotionis & fraterne cum eo converſeris, & obſequia charitatis ei præſtes. Ita Joſeph Patriarcha egit. Sub lege naturæ Apoſtolicum præceptum implevit. Pro odio reddidit charitatem. Pro dolore dilectionis affectum monſtravit. Odium Fratrum charitatis lachrymis abluit. Pro malis bona retribuit. Sequere. Secus lex charitatis damnabit te.

PUNCTUM TERTIUM.

Tertium eſt, ut in bono vincamus malum. Non ſatis etenim eſt, *malum pro malo non reddere*, benefacere inimicis. Vera charitas hisce contenta non eſt, ut diligat. Vult, ut & inimicus charitatem amplectatur. Sequitur monitum Spiritus ſancti. Si inimicus tuus eſurierit, ciba illum. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus.

Quando enim crebro inimico tuo benefeceris, quamlibet ſit impius, tandem pœnitere incipiet, quod admiſit. Et caput ipſius, ſeu ſenſus rationis charitatis igne ſuccendetur. Et qui prius quaſi frigidus, & phreneticus conſueverat contra te iracundiam retinere, ſpirituali calore de tua bonitate ſuccenſus incipit toto corde diligere. Ita Moyſes & Aaron populum rebellem in bono vincere ſtuduerunt. Nam cum ſeditio increſceret, fugerunt ad tabernaculum fœderis. At cum ira egreſſa eſſet a Domino ſuper populum, præcepit Moyſes Aaroni, ut cum incenſo pergens ad populum vindictam ab eo averteret. Hac charitate autem inimicum populum ſibi amicum reddiderunt. Sequere. Quot vinces in bono malos, tot animas cœlo lucraberis.

PUNCTUM QUARTUM.

AN non ergo, o Religioſe! malum pro malo hucusque reddidiſti? Charitatem amiſiſti. An benefeciſti eis, qui oderant te? Charitatem recuperaſti. An viciſti in bono malum? Charitatem inimico reſtituiſti. Dole, quod legem charitatis Evangelicæ, & Benedictinæ non melius cuſtodieris. Propone

1. Malum pro malo non reddere.
2. Benefacere inimicis tuis.
3. Vincere in bono malum.

DIES VIII.

De Castitatis perfectione.

Castitatem amare. Cap. 4. Instr. 63.

PUNCTUM PRIMUM.

Ut quis rite, *castitatem amet*, ad perfectum ejus amorem oportet illum ascendere. Perfectio quippe hujus voti non solum in corporali consistit puritate, sed quam maxime in mentis integritate. Totus vitæ cursus virgineus esse debet. Omnes motus animæ, & corporis virginem referre debent. Nam & sermone committitur fornicatio. Visu adulterium patratur. Auditu scurrilium anima polluitur. Immunda cogitatione corrumpitur. Delectatione in creaturis fœdatur. Desiderio rei terrenæ maculatur. Inordinatis passionibus fidem, Sponso cœlesti datam, frangit. Hinc ira, æmulatio, invidia, recordatio injuriarum, mendacium, superbia, levitas, & distractio, sermo inconsideratus, tepor in oratione, in observantia regulari, amor recreationis, somni, requiei &c. castitati perfectæ adversantur. Perfectam siquidem puritatem cœlestis Sponsus a Religiosa anima requirit. Tamdiu displicebit ei, quamdiu ab omni nævo imperfectionis purum cor non habuerit. Hanc puritatem cordis assecutus est

SS. P. N.; quia cor ab omni inordinata affectione immune conservavit.

PUNCTUM SECUNDUM.

UT quis *castitatem perfecte amet*, non sit contentus; quia cor purum ab omnibus mundi affectibus possidet, sed etiam illud virtutibus exornet. Sponsus cœlestis duplicem quippe miratur pulchritudinem in Sponsa sua. Quam pulchra es amica mea! quam pulchra es! pulchritudine animæ, & corporis delectatur. Hanc cuivis virgini præcepit per Apostolum suum, ut sit sancta corpore & spiritu. Sancta Spiritu est, si *in cogitationibus suis Deum semper præsentem habet.* Si divinas ejus perfectiones jugiter meditatur. Si solum, & unum sponsum amat, ut dicere possit; *ante te omne desiderium meum.* Si ob amorem sponsi unice omnia agit, & patitur. Si dulciter afficitur ad omnia, quæ ei placent. Si illi soli placere desiderat. Si omnes affectiones suas in virtutes sacræ Regulæ commutavit. Sancta corpore est, si *corpus castigare* gaudeat. *Si omni hora se custodiat a vitiis oculorum, linguæ, manuum, pedum.* Si omnes sensus ad modestiam S. Regulæ reformaverit. Si *nullas amplius delicias amplectatur.* Si *patientiam in omnibus amplectatur.* Ecce! talis Sponsa cœlesti Sponso placet; quia ornata est monilibus virtutum.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

UT quis *castitatem amet*, ejusque munditiem, & ornatum perfectum acquirat, sequentia jugiter observet. Nihil agat, aut admittat, quod quovis peccato animam maculare possit. Et hoc timore Dei facile obtinebit. Nihil patiatur inordinatum in suis affectionibus. Et hoc amore Dei breviter acquiret. Nihil agat, quod sanctitati Professionis suæ a longe repugnet. Et hoc frequenti meditatione obligationum status sui observabit. Omni custodia custodiat cor suum, ne cogitatione, vel affectione a Divino amore declinet. Si vel modice declinaverit, statim ad illum cor suum revocet. Deploret instabilitatem cordis sui, & de novo Divinum imploret auxilium. Hoc præsentia Dei præstat. Omnem curam animæ, dignis statui suo virtutibus exornandæ, adhibeat. Corpus negligat, nisi quod illud jugiter castigare solicitetur. Omnis enim decor animæ ab intra est. Ecce! o Religiose! quanta perfectio in uno castitatis voto lateat. Ad hanc ergo conare totis viribus, ni velis a cœlesti Sponso ceu adultera reprobari.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! amore castitatis perfectæ cor mundas ab omni nævo imperfectionis? Cor mundum crea in me Deus. An exornas omni virtute S. Regulæ tuæ? Spiritu principali confirma me Deus. An ideo omni

cona-

conatu conſervas cor tuum in præſentia & amore Dei? Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum. Dole, quod nec a longe hucusque ad perfectionem caſtitatis eniſus fueris. Propone

1. Cor mundare ab imperfectionibus,
2. Cor ornare virtutibus Religioſo dignis,
3. Cor conſervare in jugi præſentia & amore Dei.

DIES IX.

De vitando dolo.

Dolum in corde non tenere. Cap. 4. Inſtr. 24.

PUNCTUM PRIMUM.

DUm SS. Pater Noſter jubet, *dolum in corde non tenere*; triplicem dolum prohibet. Primus dolus in corde tenetur erga Deum. Dolum enim corde tenet, qui intentionem bonam erga Deum prætendit, ſed occulte ſeipſum quærit Cor ejus non eſt rectum cum Deo. Quare in omnibus, quæ agit proprium honorem, proprium commodum, proprium placitum quærit. Labiis honorat Deum. Exterius bonam format intentionem. At intus cor in veritate Dei gloriam, Dei amorem, Dei beneplacitum non quærit, ſed ſeipſum. Sic cor, quod ſe ſimulat Deo eſſe unitum, longe eſt ab eo. Dolum in corde tenet, qui dicit ſe amare Deum ſuper omnia, & occulte

culte quam plurima Deo præponit. Quomodo enim Deum ſuper omnia amat, qui aliquid cum Deo amat? Quomodo ſuper omnia amat, qui propter Deum omnia relinquere non eſt paratus? Quomodo ſuper omnia amat, qui creaturarum impuro amori totus adhæret? Dolum in corde tenet, qui unius Dei timorem prætendit, ſed in corde majori hominum timore corripitur. Sæpius exercet ſe in timore Dei, ſed ob reſpectum humanum legem Dei transgredi non veretur. Corde dicit ſe timere Deum, opere plus timet hominem. O Religioſe! quando tandem Deo ſincere ſervies? Quando *dolum in corde adverſus Deum non tenebis?* Virum doloſum abominabitur Dominus.

PUNCTUM SECUNDUM.

SEcundus dolus tenetur in corde adverſus Superiores, & Confratres. Doloſus erga Superiores eſt, qui amorem, & honorem exterius ipſis oſtendit; in corde autem eos odit, ac contemnit. Doloſus erga Superiores eſt, qui confidentiam magnam verbis monſtrat; in corde autem, quæ ipſis revelanda eſſent, occulte abſcondit. Doloſus erga Superiores eſt, qui eorum dicta, & facta exterius approbat; in corde autem reprobat. Erga confratres doloſus eſt, qui mel in ore, fel in corde gerit. Erga Confratres doloſus eſt, qui loquitur amicabiliter, & inſidiatur in abſcondito. Erga Confratres doloſus eſt, qui in faciem laudat,

in

in corde obſervat, ut a tergo vituperet. Erga Confratres doloſus eſt, qui eos curioſe in omnibus circumſpicit, ut ad Superiores omnia facta, ficta, vera, falſa deferat. O Religioſe hoc non eſt, *dolum in corde non tenere*, ſed ſupra modum doloſum eſſe. Sed cui magis noces, quam tibi? Quem magis decipis, quam teipſum? Quem magis odibilem reddis, quam teipſum? Omnes a te fugient. Nec amiciſſimus amplius fidet. Cunctis timori eris, atque averſioni. Ita fraudulentus nunquam invenies lucrum.

PUNCTUM TERTIUM.

TErtius dolus tenetur in corde erga ſemetipſum. Seipſum decipit, qui apud ſe excuſat peccata ſua. Seipſum decipit, qui magni æſtimando merita ſua defendit peccatum ſuum. Seipſum decipit, qui quotidianos defectus, & imperfectiones contra Regulam non vult agnoſcere. Seipſum decipit, qui nimia ſecuritate diſſolvitur. Seipſum decipit, qui omnia, quæ agit, approbat. Quia cum juſtitia ſonet exterius, iniquitas latet interius. Dum ſe defendendo, & magni æſtimando exaltat, deſtruitur ipſius fortitudo. Nemo quippe fortis, niſi in Domino; nam virtus in infirmitate perficitur. O Religioſe! vide, ne hunc perniciosiſſimum, ſed tamen vix non communem *dolum in corde teneas*. Diſtrictionem retributionis conſidera, & de damnis tuis non exultabis. Audi quomodo ſuper te Propheta Sophonias

nias vim divinæ animadverſionis intendat. Ecce! dies Domini venit magnus, & horribilis dies illa, dies iræ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris ſuper omnes civitates munitas, & ſuper omnes angulos excelſos. Ecce ſuper civitatem munitam dies Domini venit. Ecce! ſuper ſuſpectam mentem venit, quæ fallaci excuſatione circumdatur, nec veritatis ad ſe jacula admittit? Ecce! ſuper excelſos angulos venit, in quibus duplex eſt paries. Ecce! ſuper duplices corde venit, qui dum veritatis ſimplicitatem fugiunt, ad ſemetipſos quodammodo duplicitatis perverſitate replicantur. Et quod deterius eſt, apud cogitationes ſuas in faſtu prudentiæ ex ipſa ſe culpa extollunt. Dies ergo venit ſuper civitates munitas, & ſuper angulos excelſos; quia dies Judicii corda, & defenſionibus contra veritatem clauſa, deſtruet, & duplicitatibus involuta, diſſolvet.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! nullum dolum hucusque tenuiſti in corde tuo adverſus Deum? Abominatio Domini eſt omnis illuſor. An nullum dolum tenuiſti in corde adverſus Superiores, & Confratres? Fraudulenti vaſa peſſima ſunt: ipſe enim cogitationes concinnabit ad perdendos mites in ſermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium. An nullum dolum adverſus temetipſum tenuiſti in corde tuo?

Plaga

Plaga dolosa dividet vulnera. Dole, quod hactenus nec erga Deum, nec erga Superiores, & Confratres, nec erga temetipsum sincerus, & rectus corde fueris. Propone

1. Nullum dolum adversus Deum,
2. Adversus Superiores, & Confratres, &
3. Adversus temetipsum in corde tenere.

DIES. X.

De Necessitate S. Silentii.

Omni tempore Silentio debent studere Monachi. Cap. 42. v. 1.

PUNCTUM PRIMUM.

DUra multis videtur ista Regula: *Omni tempore Silentio debent studere Monachi*; sed tamen summe necessaria est. Primo enim necessaria est ad supprimendas passiones. Ubi enim superbus, aut vanæ gloriæ cupidus magis suam passionem monstrabit, quam in colloquiis vane se jactando? Ubi inobediens murmura sua, & sussurrationes magis prodet, quam in colloquiis partialitates instituendo? Ubi iracundus suam iram magis exercebit, quam in colloquiis? Ubi calumniator suas detractiones, & mendacia potius sparget, quam in colloquiis? Ubi dissolutus facetiis, risibus, & scurrilitatibus potius vacabit, quam in colloquiis? Breviter: Nulla occasio

occasio passiones suas exercendi aptior est, quam collocutio. Hinc S. Arsenius tam infensus hostis garrulitatis erat, quod vix in praesentia sui Episcopi loqueretur. Et merito. Lingua ignis est, universitas iniquitatis; maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ. Linguam nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero. Multi quidem ceciderunt in ore gladii; sed non sic, quasi qui interierunt per linguam suam.

PUNCTUM SECUNDUM.

NEcessaria secundo est ista Regula, *omni tempore Silentio debent studere Monachi*, ad conservandam charitatem erga Superiores, & Confratres. Ubi enim magis unus alterius infirmitates revelat, quam in colloquiis? Ubi unus alteri suas cogitationes, sua consilia de futuris dispositionibus Superiorum magis vendit, quam in colloquiis? Ubi suam displicentiam de Superiorum, & Confratrum actis, & factis alteri communicat, quam in colloquiis? Ubi familiaritatis nocivæ, rixæ, invidiæ, contumaciæ, diffidentiæ, vitia omnia contra charitatem uberius nascuntur, quam in colloquiis? Econtra cum *omni tempore Silentium* servatur, nulla est occasio offendendi Superiores, vel Confratres. Et dum nullus de altero malum quid audit, omnes magni facit, & ideo etiam sincere diligit. Unus alterum miro modo sic ædificat. Hinc S. Pambo

noluit loqui in adventu nobilium perſonarum dicens: Niſi Silentio meo ædificentur, nec doctrina mea ædificabuntur.

PUNCTUM TERTIUM.

NEceſſaria eſt tertio iſta Regula, *omni tempore Silentio debent ſtudere Monachi*, ad obtinendam perfectionem religioſam. Silentium enim parit ſpiritum compunctionis. Silentium implantat humilitatem. Silentium intellectum illuminat, & bonis cogitationibus implet. Silentium voluntatem inflammat ad amorem Dei. Silentium memoriam replet recordatione beneficiorum Dei, ut in gratiarum actiones, & laudes lingua proſiliat. Silentium orationis dulcedinem conſervat. Silentium conſtantem animæ quietem gignit. Silentium docet ſcientiam Sanctorum. Silentium obligationibus ſtatus ſui jugiter vacat, & ad perfectionem ſuaviter, ac fortiter perducit. Hinc S. Antonius ſæpe ſuis S. Silentium commendavit. Hoc autem nemo rite cuſtodiet, niſi omne commercium cum Parentibus &c., mundi negotiis &c. reliquerit. Sufficit enim, ut quivis neceſſitates ſuorum, & totius mundi Deo in oratione commendet. Nemo virtutem Silentii obtinebit, niſi varietate exercitiorum cuſtodiat. Nemo continuum Silentium ſervabit, niſi *cum loquendum erit, de Sanctis, & ædificationum eloquiis* humiliter, ac ſimpliciter ad devotionem & compunctionem dicat. Quidquid enim his contrarium agitur, Silentium

ctium franget, passionibus fræna laxabit, & perfectionem minuet.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! S. Silentium custodies ad suppressionem passionum tuarum? In multiloquio non effugies peccatum. An S. Silentium servabis ad conservandam charitatem erga Superiores, & Confratres? Opus justitiæ pax, & opus justitiæ Silentium. An S. Silentio vocabis ad obtinendam religiosam perfectionem? In Silentio spes ejus est. Dole, quod S. Silentium hucusque tam parvi feceris, & levius fregeris. Propone, S. Silentio continuo studere

1. Ad suppressionem passionum tuarum.
2. Ad conservandam charitatem.
3. Ad obtinendam perfectionem religiosam.

DIES XI.
IN SOLEMNI COMMEMORATIONE SS. P. N. BENEDICTI.

De Necessitate perfectæ abrenunciationis.

Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuncians propriis voluptatibus obedientiæ fortissima arma assumis. Prolog. §. 1. v. 2.

PUNCTUM PRIMUM.

FUit vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus, & nomine ab ipso suæ pueritiæ tempore

cor gerens ſenile. Ætatem quippe moribus tranſiens, nulli animum voluptati dedit. Sed dum in hac terra adhuc eſſet, quo temporaliter libere uti potuiſſet, deſpexit jam quaſi aridum mundum cum flore. Qui liberiori genere ex provincia Nurſiæ exortus Romæ liberalibus litterarum ſtudiis traditus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quaſi in ingreſſu mundi poſuerat, retraxit pedem: ne ſi quid de ſcientia ejus attingeret; ipſe quoque in immane præcipitium totus iret. Deſpectis itaque litterarum ſtudiis, relicta domo, rebusque Patris plus appetens mala mundi perpeti quam laudes: & pro Deo laboribus fatigari, quam vitæ hujus favoribus extolli nutricem ſuam quoque occulte fugiens, deſerti loci ſeceſſum petiit, & ſoli Deo placere cupiens, ſanctæ Converſationis habitum quæſivit. Omnia ergo reliquit SS. Pater. Scivit, quod ſine plena abrenunciatione charitas obtineri nequeat. Agnovit, quod obedientia, quæ ducit ad charitatem absque omnimoda abnegatione acquiri non poſſit. Hinc & in Regula, poſt quam ejus finem, & ſcopum propoſuit, nos ad iſtam abrenunciationem hortatur. *Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur, quisquis abrenuncians propriis voluptatibus, Domino Chriſto vero Regi militaturus, obedientiæ fortiſſima arma aſſumis.* An o Religioſe! ſecutus es SS. Patrem? Niſi hoc modo ad finem, & ſcopum Regulæ contenderis, nunquam perfectionem vocationis tuæ obtinebis.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

NEcessaria est abrenunciatio ad finem S. Regulæ. Nunquam enim Dei charitatem in omni Regulæ observantia intendet, qui prius omnibus *propriis voluptatibus ad mentem & exemplum SS. P. N. non abrenunciaverit*. Quomodo enim Deum toto corde in paupertate diliget, qui adhuc affectu ad res terrenas afficitur? Abnegandus est hic affectus, relinquenda sunt omnia, ut Deum toto corde diligas. Et cur non? Omnino dulciora, & amabiliora sunt, quæ ex Patre sunt, & quibus nobis ista recompensat. Quomodo Deum in humilitate toto corde diliget, qui adhuc gloriam & amorem mundi ambit? Abneganda, & relinquenda sunt, ut Deum toto corde diligas. Et cur non? JEsus humiliavit semetipsum amore tui, ut & tu in humilitate illum amares. Quomodo Deum in patientia toto corde diliget, qui voluptates mundi, & carnis toto desiderio affectat? Relinquendæ sunt, ut Deus toto corde diligatur. Et cur non? Deus promittit diligentibus se voluptatem, quæ in cor hominis non ascendit. Breviter; quomodo Deum in quacunque regulari observantia totis viribus diliget, qui vires animæ, & corporis circa mundi delicias dispergit? Omnibus abrenunciandum est, ut Deus totis viribus diligatur. Et cur non? Deus pro momentanea vita, vitam æternam, quietam, & beatam promittit.

PUNCTUM TERTIUM.

NEceſſaria eſt abrenunciatio ad ſcopum Regulæ. Nemo enim SS. Regulæ in omnibus obediet, quamdiu, ùt SS. Pater ait, *propriis voluptatibus non abrenunciaverit.* Semper voluntas propria aliud vult, quam quod communis Monaſterii Regula cohortatur. Semper contra Regulam charitatis non ad honorem Dei, non ad utilitatem Fratrum, ſed propter ſeipſam facit, quod agit. Non intendit placere Deo, & prodeſſe Fratribus, ſed propriis motibus animorum. Verbo, nullam virtutis, aut exercitii communis Regulam invenies, cui ſe propria voluntas non opponat. Semper judicium proprium S. Regulam interpretatur ſecundum ſuum ſentire, & non quod Regula ſentit. Ignorat Dei juſtitiam, & ſuam vult conſtituere. Contra Regulam, aut majorum exempla novos ritus inducit. Sæpe ex vano prætextu ſibi ipſi ſecundum ſuum videre in ea diſpenſat, cum tamen Abbas in corporalibus ſolum ex magna neceſſitate, & charitate, & pro tempore tantum; in ſpiritualibus vero nunquam auſit diſpenſare. Etenim & Abbas Regulæ per Profeſſionem ſubditur, eique etiam præcipitur, ne temere ab ea declinet. Vide ergo o Religioſe! quod absque abrenunciatione proprii judicii, & voluntatis obedientiam erga S. Regulam præſtare non poſſis.

PUN-

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religiose! S. Patrem sequeris in abrenunciatione? Nisi quis renunciaverit omnibus, non potest meus esse Discipulus. An sequeris illum in abrenunciatione, ut finem S. Regulæ jugiter intendas? Amoris Dei, & mundi sicut lucis ad tenebras nulla est conventio. An sequeris illum in abrenunciatione, ut scopum S. Regulæ semper præ oculis habeas? Voluntas propria omni adversatur legi. Dole ergo quod hucusque necessitatem abrenunciationis non melius perpenderis. Propone SS. Patrem sequi

1. In abrenunciatione
2. Ad finem, &
3. Ad scopum Regulæ obtinendum.

DIES XII. ET II. INFR. OCT. SS. P. N. BENEDICTI.

De unica sui ipsius cura.

Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam. Cap. 2. v. 10.

PUNCTUM PRIMUM.

NOn longe ab ejus specu Monasterium fuit, cujus Pater defunctus est. Omnis igitur ex illo Congregatio ad Venerabi-

rabilem Benedictum venit, & magnis precibus, ut eis praeesse deberet, petiit. Qui diu negando distulit, suis, illorumque Fratrum moribus se convenire non posse praedixit: sed victus quandoque precibus assensum dedit. Cumque in eodem Monasterio regularis vitae custodiam teneret, aliqui inito consilio venenum vino miscuerunt. Et cum vas vitreum signo Crucis confregisset, ad locum dilectae solitudinis rediit, & solus in superni Inspectoris oculis habitavit secum. Noluit SS. Pater correctione Fratrum fatigari, sibi soli attendit. Noluit cura disciplinae distrahi, sibi soli attendit. Noluit negotiis Monasterii vacare, sibi soli attendit. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur. Sunt tamen quam plurimi, qui solum aliorum defectus observant, suos non curant. Sunt, qui in Fratris sui oculo festucam vident, & in suo trabem non vident. Sunt, qui dum alienam vitam discutiunt, suam nesciunt. Vitiis propriis, & alienis jugiter inquinantur. Suspicionibus, & judiciis temerariis jugiter inquietantur. Detractionibus, & murmurationibus Fratribus molesti sunt. Merito his SS. P. objicit: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam.* Tu ergo tibi soli attende. Te solum cura. Tuas iniquitates scrutare, ac emenda. Caecus incede in Claustro, ut dempta consideratione ejus, quem tibi merito perfectionis ad imitan-

tandum præposuisti, tanquam cæcus non videas, quæcunque tibi occurrerint minus ædificatoria. Sic non animaberis exemplo eorum, qui talia agunt, ad deteriora. Quietus compunctioni super tua, & aliena peccata vacabis. Et si Confratres tuos exemplo isto non meliorabis, nunquam verbo ædificabis. Cura ergo teipsum.

PUNCTUM SECUNDUM.

SAnctissimus Pater N. noluit cura disciplinæ distendi; sibi soli attendit. Sunt tamen zelatores hujus quam plurimi; sed non zelo bono. Contingit subinde, ut hi, qui disciplinæ præsunt, ipsam disciplinam negligant. Regulæ observantiam non procurent. Transgressiones impunitas relinquant. Sic fit, ut ipsi subjectis noceant, qui prodesse debuerant. Quæ dum imperfecti conspiciunt, contra Superiores commoventur. Illos aversantur. Murmurant. Seipsos diu, noctuque inquietant. At his quid proficiunt? Deficiunt ipsi plurimum, & disciplinam non promovent. Perfecti vero cum aliquoties Superiorem de disciplinæ defectibus monuerunt, nec emendarunt, sibi ipsis attendunt. In se quieti sunt. Habitant secum. Interne per compassionem dolent. Lamenta coram Deo profundunt, & tanto sciunt de alienis damnis ingemiscere, quanto sciunt de propriis dolere. Timent enim semper, ne communis indisciplinationis correptione fatigati, minus suam curent disciplinam, & se forsitan

relinquant, & alios non inveniant. Merito cuivis ipſorum inde objiceret SS. Pater: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam.* Tu ergo ante omnia tibi attende. Te ſolum cura. Mutus eſto, dum admonendo eos, qui præſunt diſciplinæ, non emendas. Decanta in corde tuo illud Pſalmiſtæ: Dixi, cuſtodiam vias meas. Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui a bonis. Etenim ſi non ædificabis exemplo; non emendabis verbo tuo.

PUNCTUM TERTIUM.

SAnctiſſimus Pater Noſter noluit negotiis Monaſterii diſtrahi, ſibi ſoli attendit. Nihil ſic communem quietem perturbat, & propriam inquietat, quam ſe negotiis Monaſterii implicare. Feruntur varia judicia contra Superiores. Taxantur Confratrum acta. Tempus otioſe in cogitationibus futurorum eventuum tranſigitur. Indagatur in omnia, quæ intra, & extra Monaſterium aguntur. Animus obligationem Profeſſionis ſuæ relinquit. Totus diſtrahitur. Mille imperfectiones incurrit. Nunquam ſecum, ſemper alibi eſt, ubi eſſe non deberet. Quoties enim per cogitationis motum nimium extra ſe rapitur, & ipſe eſt, & ſecum non eſt; quia ſemetipſum minime videns, per alia vagatur. Merito tali objicit SS. Pater: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero, odiſti diſciplinam.* Tu ergo tibi attende.

Te

Te ſolum cura. Cum SS. Patre habita tecum. Surdus eſto, ut quidquid audieris de Monaſterii negotiis internis, & externis, quod te non concernit, tanquam ſurdus pertranſeas. Si oratione, & cuſtodia S. Diſciplinæ Deus placatus, Monaſterium tuum non cuſtodierit, in vanum cum cæteris laboraveris, quidquid egeris, dixeris &c.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! non ſcrutaris defectus Confratrum tuorum? Tuam trabem prius ejice. An non contra Superiores indiſcrete commoveris propter ipſorum deſidiam in conſervanda diſciplina? Si verbo non potes, exemplo ædifica. An negotiis Monaſterii, quæ te non concernunt, te immiſces? Quid ad te, tu me ſequere. Dole, quod hucusque omnibus aliis, ſoli tibi non attenderis, propone, te ſolum impoſterum curare,

1. Relicta cura Confratrum,
2. Superiorum,
3. Negotiorum Monaſterii.

DIES XIII. ET III. INFR. OCT. SS. P. N. BENEDICTI.

Quomodo Religioſus nulli injuriam facere, & factam patienter ſufferre debeat.

Injuriam non facere; ſed & factam patienter ſufferre, Cap. 4. Inſtr. 30.

PUN-

PUNCTUM PRIMUM.

FLorentius vicinæ Ecclesiæ Presbyter invidiæ tenebris cæcatus, ad hoc usque perductus est, ut servo omnipotentis Dei infectum veneno panem quasi pro benedictione transmitteret. Quem vir Dei cum gratiarum actione suscepit, sed eum, quæ pestis lateret in pane, non latuit. Ad horam refectionis, cum more solito ex sylva corvus venisset, præcepit illi Vir Dei, ut panem istum tali in loco projiceret, ubi a nullo hominum possit inveniri. Quo facto post trium horarum spatium rediens de manu hominis Dei annonam, quam consueverat, accepit. Venerabilis autem Pater contra vitam suam inardescere Sacerdotis animum videns, illi magis, quam sibi doluit. Non fecit injuriam. Factam patienter portavit. Seipsum lædit, qui infert injuriam. Injuriam enim pati malum non est. Injuriam inferre hoc malum duntaxat est. Nonne Saul graves injurias David fecerat? At quanta mala inde sibimet ipsi intulit? Spiritu malo vexatus est. A proprio Filio, & Filia impugnatus est. In manus David a Domino traditus est. Nonne David sibi ipsi nocuit, quando Uriæ injuriam fecit? Urias vel mortuus, & occisus domum illius universam depopulabatur. Sic qui injuriam faciunt, animam suam impugnant. Spiritu malo iræ, & odii corripiuntur. Variis perturbationibus vexantur. A Deo hic, aut in futuro gravissime puniuntur. Hinc SS. Pater præcipit: *Injuriam non facere.*

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

SAnctissimus Pater injuriam a Florentio sibi irrogatam tulit patienter; dum ad eam tacuit; nec ullo verbo eandem Florentio per nuncium exprobravit. Solum namque vir malus, cum injuriis lacessitur, injurias reponit ut ultro citroque vix finis fiat injuriarum. Vir vero probus nil molestiæ ex injuriis accipit; quia ad eas tacet. Et cum audire cogitur, quod non est; non tamen dicit convitianti, quod est. Quare? Salvatorem suum sequitur. Hic, cum ei Judæi improperarent: Dæmonium habes, Samaritanus es, & cum eum lapidare vellent; aliud non reposuit; quam, ego gloriam meam non quæro; est qui quærat, & judicet & abscondit se. Illatas contumelias quamvis Pater omne ei judicium dederit, non vindicavit, sed Patris reservavit judicio. Exemplum reliquit nobis, quantum nos patientes esse debemus, dum se ulcisci non vult & ipse, qui judicat. Sane imitatione Dei gloriosius est injuriam tacendo fugere, quam respondendo superare. Sed contra hoc superbia dicit in corde: Turpe est, ut accepta injuria taceas. Quisquis conspicit, quia verbo, aut facto injuriam accipis, & taces, non putat, quia patientiam exhibes, sed crimen agnoscis. Unde vox ista in corde nostro contra patientiam nascitur? In imis cogitationem figimus. Dum in terra gloriam non quærimus, placere ei, qui nos de cœlo conspicit, non curamus. *Factam*

ergo

ego injuriam, ut SS. Pater egit, & præcepit, *patienter sufferamus.*

PUNCTUM TERTIUM.

SAnctissimus Pater plus Florentio, quam sibi doluit. Scivit, quod Diabolus non tantum de vulnere humani corporis gaudeat, quantum in vulnere animæ delectatur. Doluit, quod injuriator suus victus fuerit a Diabolo. Scivit, quod Deus se sit vindicaturus ab hoste suo; quia per se vindictam non sumpsit. Doluit ob illius exitium, sicut Christus Dominus lachrymatus est super Judam, non quando ipse crucifigebatur, sed quando ille prodebat. O Religiose! injuria te, aut convitio quis affecit? Deum obsecra, ut statim illi propitius fiat. Iram fræna; quoniam lethalem ille jam accepit plagam. Compatere; quoniam ipsum vulneravit Diabolus. Ne igitur, & tu prætere a ferias, ne teipsum una cum illo dejicias. Dum enim tali condolendo non supersedes, potes te, & illum servare. Quod si injuriam injuriæ referens teipsum quoque dejeceris, quis tandem vos humi jacentes tollet? Certe haud quaquam poterit humi prostratus, an tu, qui una cum illo collapsus es? Qui tibi ipse manum porrigere nequisti, alteri poteris? Ita igitur generoso pectore, & mortuum illum e pugna [Frater tuus est] per lenitatem trahito. Vulneravit illum ira, ne vulneraveris, & tu, sed prior jaculum abjicito. Si ita egeris, condolendo vere ad mentem SS. Patris *injuriam factam patienter sufferes.* PUN-

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! injuriam non facis? Injuriator seipsum vulnerat, sicut qui ad stimulos calcitrat. An injuriam factam patienter tacendo suffers? Si ignem cum igne conjungis, major flamma accenditur. An injuriam factam patienter condolendo suffers? Frater tuus mortuus est. Dole, quod patientiam in injuriis non servaveris. Propone

1. Injuriam non facere;
2. Sed factam tacendo,
3. Et condolendo patienter sufferre.

DIES XIV. ET IV. INFR. OCT. SS. P. N. BENEDICTI.

De qualitate pœnæ scandalizantium.

Propter scandalorum spinas. Cap. 13. v. 16.

PUNCTUM PRIMUM.

FLorentius, quia Magistri corpus necare non potuit, se ad extinguendas Discipulorum animas accendit: ita, ut in horto cellæ, cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret, quæ diutius ludentes illorum mentes ad perversitatem libidinis inflammarent. Quod Vir Dei videns habitationem mutavit loci. Sic Vir Dei ejus odia humiliter declinavit, quem omnipo-

nipotens Deus terribiliter percussit. Nam cum prædictus Presbyter stans in solario Benedictum discessisse exultaret, solarium cecidit, & Benedicti hostem conterens extinxit. Nullum enim vitium Deus velocius punit, quam scandalum. Ecce! Moysen amicum Dei, Prophetarum maximum, cui sicut amico Dominus loquebatur, repente ira Dei corripuit; quia scandalizavit eos, qui secum erant, apud aquam contradictionis. Mox equidem illi dictum est: Quia non credidisti mihi, ut sanctificares me coram Filiis Israël: propter hoc non introduces hos populos in terram, quam promisi eis. Si tantum virum mox Deus castigavit, quantum & nos timere debemus, ne ira Dei ascendat super nos? An non enim propter nos Nomen Dei blasphematur in gentibus? An non invicem scandalizamus, & scandalizamur? Toties namque aliquis teste S. Basilio in Regulis brevioribus: scandalizat, quoties dictis, factisve legem violat, & exemplo suo alium ad legis violationem inducit, ut serpens Evam, & Eva Adam. Numera modo, o Religiose! scandala, quæ contra S. Regulam dedisti. At time etiam *propter scandalorum spinas* legem coram aliis deinceps transgredi. Non enim te solum, & quos scandalizas; sed ipsum Deum lædunt, ut velociter vindictam sumat.

PUNCTUM SECUNDUM.

NUllum vitium irremissibilius punitur scandalo; morte namque repentina absque

spatio

ſpatio pœnitentiæ multatus eſt Florentius. Quod enim cum damno aliorum fit, gravius judicatur. Unde & peccata, quæ occulte fiunt, veniam merentur. Quæ vero manifeſte perpetrantur, absque venia plerumque puniuntur. Sic David jejuniis, contritione cordis, afflictione corporis pœnam adulterii, & homicidii evadere non potuit. Quare? Audi Nathan. Quia blaſphemare feciſti inimicos Nomen Domini propter hanc rem. Merito ergo S. Paulus timuit præ omnibus aliis peccatum ſcandali, ut ſi eſca ſcandalizaſſet Fratrem ſuum, carnes non manducaſſet in æternum. Et tamen nos non timemus. Quoties enim leves ſumus coram ſæcularibus, qui tamen levitatem in Religioſo ſacrilegii condemnant? Quoties invicem nobis murmurando, contendendo, frangendo ſilentium &c. ſcandalo ſumus? Fors non timemus; quia parva ſunt iſta? At parvum non eſt, ex quo grave ſcandalum oriri poteſt. Time ergo *ſcandalorum ſpinas*, quæ lethaliter Fratrem tuum vulnerando, etiam tuam animam enecant. Imo Deus eo irremiſſibilius ſcandalum tuum puniet; quo propter profeſſionem ſanctitatis amplius alios ſcandalizaſti.

PUNCTUM TERTIUM.

NUllum peccatum gravius punitur ſcandalo: morte namque temporali, & æterna punitus eſt Florentius. Eſt enim vitium gravius ipſo homicidio. Per hoc corpus, alias periturum, interimitur. Per illud anima immor-

talis vita gratiæ ſpoliatur. Eſt vitium diabolicum; quia Diabolus fuit homicida ab initio. Primum hominem non manu; ſed ſuaſu ad peccatum occidit. At ſanguis ſcandalizati ut olim Abel contra ſcandalizantem jugiter clamabit vindictam. Veniet etiam ſanguis ejus ſuper eum. Ecce tibi Jeroboam! hic erigendo idola peccare fecit Iſraël. Et hinc operatus eſt mala ſuper omnes, qui fuerunt ante eum. Quomodo autem venit ſanguis eorum ſuper eum? Percipe Prophetam Achiam. Percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, & clauſum, & noviſſimum in Iſraël. Sequere igitur conſilium Pauli dicentis: Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Totis viribus adnitere, ne per te quis ſcandalizetur. Vita enim, etſi rectiſſima ſit, ſi aliis erit ſcandalo, totum amittit. Et tamen plerumque contingit, ut, qui negligenter de ſe mala opinari permittunt, per ſemetipſos quidem nulla iniqua faciant, ſed tamen per eos, qui ſe imitati fuerint, multiplicius delinquant. Hinc eſt, quod Paulus ejusmodi exprobret. Et peribit infirmus in tua conſcientia Frater propter quem Chriſtus mortuus eſt. Sic autem peccantes in Fratres, & percutientes eorum conſcientiam infirmam, in Chriſtum peccatis. Exhorreſce *ſcandalorum ſpinas*, quæ tam graviter feriunt.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! horres ſcandalum, quia velociter a Deo punitur? Dathan, & Abiron

ron ob commotam ſeditionem in momento a terra abſorpti ſunt. An horres ſcandalum, quia irremiſſibiliter plerumque a Deo punitur? Sanguis Fratris tui clamat ad me de terra. An horres ſcandalum; quia graviter a Deo punitur? Væ! homini illi, per quem ſcandalum venit. Dole, quod Transgreſſione S. Regulæ toties Confratres ſcandalizaveris. Propone neminem ſcandalizare

1. Ob repentinam,
2. Irremiſſibilem,
3. Graviſſimam Dei vindictam.

DIES XV ET V. INFR. OCT. SS. P. N. BENEDICTI.

De Neceſſitate Confidentiæ ſpiritualis erga Patrem ſpiritualem in tentationibus.

Cogitationes malas cordi ſuo advenientes Seniori ſpirituali patefacere. Cap. 4. Inſtr. 51.

PUNCTUM PRIMUM.

CUm Idolum quoddam æreum Fratres inveniſſent, & ad horam caſu in coquinam projeciſſent, exire ignis repente viſus eſt, atque in cunctorum Monachorum oculis, quia omne ejusdem coquinæ ædificium conſumeretur, oſtendit. Cumque jaciendo Fratres aquam ad ignem quaſi extinguendo

perstreperent, pulsatus eodem tumultu Vir Dei advenit. Qui eundem ignem in oculis Fratrum esse, in suis vero non esse considerans, eos, quos phantastico reperit igne deludi, vocavit. Fratres monuit, ut oculos suos signarent, ut & sanum illud coquinæ ædificium assistere cernerent, & flammas, quas antiquus hostis finxerat, non viderent. Hoc Signo SS. P. Noster ostendit necessitatem ejus, quod docuit Cap. 4. *Cogitationes malas cordi suo advenientes Seniori spirituali patefacere.* Necessaria enim est ista confidentia erga Patrem spiritualem ad vitandas fraudes Diaboli. Nec enim valebit callidus hostis ignorantiæ ejus illudere, qui universas cogitationes in corde suo nascentes nequaquam abscondit. Non illum superabit, qui omnes cogitatus suos reprobat; aut admittit maturo examine Seniorum. Serpens siquidem deterrimus virtute confessionis, quasi ex tenebroso, & subterraneo specu protractus ad lucem, abscedit dehonestatus, etiam antequam proferatur judicium discretionis de cogitatione sic patefacta. Tamdiu enim suggestiones ejus noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde.

PUNCTUM SECUNDUM.

NEcessarium est *cogitationes malas cordi suo advenientes Seniori spirituali patefacere* ad obtinendam virtutem discretionis. Hæc enim virtus non nisi humilitate acquiritur. Hujus vero humilitatis prima probatio est,

si

si quis examini Seniorum, & Superiorum suorum universa, quæ agit, aut agenda occurrunt, reservat. Si nihil credit suo judicio. Si per omnia acquiescit informationi Senioris sui spiritualis. Si illius instructione agnoscit, quid debeat judicare bonum, vel malum. Hæc siquidem institutio docebit, quemvis tramite recto incedere per veræ discretionis viam. Hæc institutio servabit illum illæsum ab universis tentationibus. Hæc institutio nullum sinet quidquam ultra vires naturæ, aut gratiæ præsumptuose aggredi. Nullatenus enim decipi potest, qui vivit non suo judicio, sed majorum exemplo.

PUNCTUM TERTIUM.

NEcessarium est *cogitationes malas cordi suo advenientes Seniori spirituali patefacere*, ad proficiendum, & perseverandum in vocatione sua. Nunquam enim rite proficiet, qui non secundum majorum institutionem profecerit. Sæpe, qui propriis advenientibus stare voluerit, dum se proficere credit, deficiet plurimum. Est velut civitas non murata, diruta, ac collapsa Hosti cuivis patet introitus. Patet ad prædam. Pro quod non expositus est incursibus? Nunc tentatur contra Superiores. Nunc aversatur Confratres. Nunc flammis impuri Asmodæi succenditur. Nunc præ tædio vocationis suæ languet. Nunc immoderantia tristitia absorbetur. Nunc variis perturbationum atque passionum motibus concutitur.

Nunc præ tentationum vehementia vix non desperat. Hæc dum omnia secum concoquit, de die in diem magis crescunt. Et cum se humiliare negligit, nec Deus cum tentatione ejus facit proventum. Hinc sæpe contingit, ut cum illo antiquo Monacho de deserenda Religione secum deliberet. Quam & revera deseret, nisi cum eodem resipiscat, & tentationes suas humiliter, atque fideliter Seniori spirituali patefecerit.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! cogitationes malas cordi tuo advenientes Seniori spirituali patefacis ad vitandas technas Dæmonis? Senex Heron; quia propriis adinventionibus stetit, post admirabilem abstinentiam ex instinctu Dæmonis seipsum in puteum præcipitavit. An cogitationes malas cordi tuo advenientes Seniori spirituali patefacis ad obtinendam virtutem discretionis? Fame periit ille Frater Thebaidos, qui noluit a Marsitis cibum accipere, sed a solo Deo panem suum exspectavit. An cogitationes malas cordi tuo advenientes Seniori spirituali patefacis ad proficiendum, & perseverandum in vocatione tua? Monachus quidam Mesopotamianus post inauditam ferme abstinentiam, diabolicis visionibus delusus, Judaismum suscepit. Dole, quod saluberrimum istud medium ad perfectionem tuam promovendam non adhibueris. Propone confidentiam erga Patrem spiritualem semper habere

1. Ad vitandas fraudes Diaboli,
2. Ad obtinendam discretionem,
3. Ad proficiendum, & perseverandum in vocatione tua.

DIES XVI.

IN FEST. SS. SCAPULARIS B. V. MARIÆ DE MONTE CARMELO.

Sufficere credimus Monachis Scapulare propter opera. Cap. 55. v. 5.

PUNCTUM PRIMUM.

CUm Ordo B. V. M. de monte Carmelo graviter affligeretur, eadem B. V. beato Simoni Anglico pro tutela S. Scapulare tradidit, cum promissione, quod omnis, qui illud devote usque ad mortem gestaverit, pœnas inferni evasurus sit. Et qui abstinentiam modicam, precesque paucas præscriptas, nec non castitatem pro ratione sui status observarent, quantocius per ipsam e purgatorio cœlo inferendi sint. *Sufficiet igitur Monacho hoc S Scapulare propter opus* castitatis ad evadendum pœnas inferni. Non enim perfectam castitatem Monachus possidet, si ab impura mentis, & corporis contagione solum abstinet. Perfectam castitatem habebit, si ab omni gravi peccato liber erit. Nunquam enim per castitatem cœlesti Sponso

 copu-

copulabitur, quando cæteris vitiis fuerit inquinatus. Ut bonum pudicitiæ divinæ placationi sufficiat, non solum in candore corporis servari debet, sed in splendore internæ puritatis. Sicut enim Redemptori nostro placere non potest, qui luxuriæ inquinamenta non deserit: ita placere non potest, qui castitate quidem præeminet, sed necdum se per bona opera exercet. Cupis, o Religiose! juxta promissum B. Mariæ de monte Carmelo a pœnis inferni liberari, porta Ejus *Scapulare propter opus* castitatis.

PUNCTUM SECUNDUM.

SUfficit *Monacho hoc S. Scapulare propter opus* jejunii ad evadendum pœnas purgatorii. Jejunium enim purgat peccata. Caro quippe nos læta traxit ad culpam, sed afflicta reducit ad veniam. Per fructum ligni vetiti a Paradisi gaudiis cecidimus, ad hæc per abstinentiam resurgimus. Nihil namque sic placat Divinam Justitiam, sicut jejunium. Certe David, cum jam audisset pœnam peccati sui æternam translatam esse a Domino, utique in temporalem, ad hanc quoque avertendam jejunavit. Imo ne Divina Justitia inveniat, quod puniat, jejunium facit. Quid enim inordinatos motus animi magis compescit, quam jejunium? Sicut enim corpus febricitans si accipit escam, aut potum, increscit illi calor; ita & humana corpora, quæ sanguinis fervore utuntur, vehementer exardescent, nisi fuerint

absti-

abstinentia gubernata. Igni enim si deest esca, sopitur. Et corpus, si cibus superfluus ei subtrahitur, motus malos amittit. Cupis, o Religiose! juxta promissum B. V. Mariæ de monte Carmelo velociter a pœnis purgatorii liberari, porta Ejus *Scapulare propter opus* jejunii.

PUNCTUM TERTIUM.

SUfficiet *Monacho hoc S. Scapulare propter opus* orationis, ut statim, aut proxime per B. V. Mariam cœlo post mortem suam inferatur. Ipsius equidem Filius nobis promisit omne illud dare, quod petierimus in nomine ejus. Pete igitur Deum, Beatitudinem tuam, & statim dabit semetipsum tibi. Nonne statim exauditus est, qui inquirebat Dominum? Inquisivi Dominum, & exaudivit me. Non inquisivit a Domino aurum, prosperitatem mundi, longævam senectutem; sed Dominum, & exaudivit eum. Ita & te exaudiet. Adhuc te loquente, dicet; ecce! adsum. Quid est, ecce! adsum? Ecce! præsens sum, quid vis? Quid a me quæris? Quidquid tibi dedero vilius est, quam ego. Meipsum habe, me fruere, me amplectere. Cætera onera ego deponam, ut totus mihi inhæreas. Convertam enim hoc mortale ad immortalitatem. Cupis, o Religiose! juxta promissum B. V. M. de monte Carmelo statim cœlo post mortem tuam inferi? Porta sacrum Ejus *Scapulare propter opus* orationis.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! Scapulare B. Virginis portas, ut perfectam castitatem servando a pœnis inferni libereris? Non dicet Tibi Sponsus: Nescio te. Clausa est janua. An Scapulare B. V. portas, ut jejunando pœnas purgatorii evadas? Jejunium extinguit peccatum. An Scapulare B. V. portas, ut orando post mortem cœlum ingredi possis? Oratio reserat cœlum. Dole, quod te indignum promissi B. V. per neglectum castitatis; abstinentiæ, & orationis reddideris. Propone SS. Scapulare portare

1. Cum castitate,
2. Cum abstinentia,
3. Cum oratione.

DIES XVII. ET VII. INFR. OCT. SS. P. N. BENEDICTI.

De Imitatione SS. P. N. Benedicti per observantiam S. Regulæ.

In omnibus omnes magistram sequantur Regulam. Cap. 3. v. 6.

PUNCTUM PRIMUM.

VIr Dei Benedictus inter tot miracula quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scrip-

ſcripſit Monachorum Regulam, diſcretione præcipuam, ſermone luculentam. Cujus ſi quis velit ſubtilius mores, vitamque cognoſcere, poteſt in eadem inſtitutione Regulæ omnes magiſterii illius actus invenire: quia ſanctus Vir nullo modo potuit aliter docere quam vixit. Imitaberis igitur SS. Patrem, habebis illius ſpiritum, ſi *in omnibus magiſtram ſequeris Regulam.* Cape ex his tribus tantum experimentum. Primo docuit, *Os ſuum a malo, & pravo eloquio cuſtodire.* Hoc ipſum imprimis cuſtodivit arcta ſolitudine, & ſilentio. Nihil locutus eſt, niſi ad inſtructionem, correctionem Monachorum, & converſionem gentium. Non enim illum latuit, illud Jacobi: ſi quis putat ſe Religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, hujus vana eſt Religio. Non ignorabat illud Chriſti, quod pro quovis otioſo verbo, tacendo, pro pravo & malo eloquio ratio ſit reddenda in judicio. O Religioſe! faceſſat igitur ab ore tuo omnis vani eloquii ineptia, & lingua, quæ immaculati Agni rubet ſanguine, dedignetur otioſi ſermonis ſeſe fæcibus inquinare. Sequere SS. Patrem tuum. Sicut ad Regulam os ſuum ab omni malo, & pravo eloquio cuſtodivit; ita & in cæteris omnibus fecit, quod ſcripſit.

PUNCTUM SECUNDUM.

SEcundo docuit, *verba vana, aut riſui apta non loqui.* Quod & hujus obſervantiſſimus fuerit, teſtis eſt S. Gregorius ejus Diſcipulus.

Vix,

Vix inquit cōmunis ejus locutio a virtutis pondere erat vacua; quia nequaquam verba de ore ejus incassum cadebant. Pro risu cordis compunctioni vacabat. Pro vana locutione Deo loquebatur solus in oratione. Non eum latuit, quod Petrus monuit: si quis loquitur, quasi sermones Dei. O Religiose! Monachus es? Veste indutus es lugubri? Quid tibi cum vanis, & risum moventibus verbis? Quid tibi cum mundi vanitatibus, qui mundo mortuus es? Nunc tempus plangendi, non ridendi est. Tempus nunc est tribulationum, & lamentationum, non vanitatum. Quis Athletarum stadium ingressus, relicta solicitudine cum adversario certandi facetiis & jocis utitur? Instat Diabolus, circuit rugiens, ut devoret, & tu sedeas, facetias effundens, quæque stulta sunt, & ad rem non faciunt effutiens? Non hæc est Monachorum, non Sanctorum conversatio. Paulus pro Ephesiis die ac nocte lachrymatur; & tu pro anima tua minus solicitus sis? Sequere S. Patrem tuum. Sicut ad Regulam nunquam verba vana, aut risui apta locutus est; ita in cæteris omnibus fecit, quod scripsit.

PUNCTUM TERTIUM.

TErtio docuit SS. Pater: *Contentionem non amare.* Quantus ipse osor contentionis fuerit, testes sunt duæ illæ contentiosæ Sanctimoniales, quas excommunicavit, & primum post mortem ab excommunicatione absolvit.

Scivit

Scivit illud ſapientis: Labia ſtulti miſcent ſe rixis, & os ejus jurgia provocat. Semper jurgia quærit. Angelus autem crudelis mittetur contra eum. O Religioſi! quod ſi zelum amarum habetis, & contentionem in cordibus veſtris, nolite gloriari. Etenim cum ſint in vobis zelus, & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum carnem ambulatis? Unde namque lites in vobis? Nonne ex concupiſcentiis? Ex his naſcitur primo levis diſſenſio. Accedit gravior commotio. Sequitur verborum pugna. Oſtendunt ſe ſigna averſi animi. Negantur conſueta humanitatis officia. Vindictæ cupido ſtimulat. Gliſcunt odia. Fores Diabolo patent. Ex Monaſterio fit tartarus. Ex Monachis dæmones. Fuge minimam contentionem. Sequere SS. Patrem tuum. Sicut contentiones non amavit, ſed contentioſum Florentium fugit; ita in cæteris omnibus, quæ docuit verbo, fecit. Spiritu SS. Patris vives, ſi *in omnibus magiſtram ſecutus fueris Regulam.*

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! SS. Patrem imitatus es per obſervantiam SS. Regulæ in omnibus? Si non imitaris, degener Filius es, imo Filius non es. An imitatus es juxta Regulam a malis, vanis, & jocoſis verbis abſtinendo? Aurum tuum, & argentum conſla, & verbis tuis facito ſtateram. An imitatus es juxta Regulam contentiones non amando? Non opor-

tet litigare, ſed modeſtum eſſe ad omnes. Dole, quod SS. Patrem per obſervantiam Regulæ imitatus non fueris. Propone illum imitari in omnibus Regulis, & in hunc finem ſpecialiter hodie

1. Os tuum a malo, & pravo eloquio cuſtodire,
2. Verba vana, aut riſui apta non loqui.
3. Contentiones non amare.

DIES XVIII. ET OCTAVA SS. P. N. BENEDICTI.

De felice Morte.

Mortem quotidie ante oculos ſuſpectam habere. Cap. 4. Inſtr. 47.

PUNCTUM PRIMUM.

VIr Dei gratia, & nomine Benedictus ante ſextum ſui exitus diem aperiri ſibi ſepulturam jubet. Qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cumque per ſingulos dies languor ingraveſceret, ſexta die portari ſe in Oratorium a Diſcipulis fecit, ibique exitum ſuum Dominici Corporis, & Sanguinis perceptione munivit. Tandem inter Diſcipulorum manus imbecillia membra ſuſtentans, erectis in cœlum manibus ſtetit, & ultimum ſpiritum inter verba orationis efflavit. Ut mors noſtra ſit felix, neceſſe

eſt

eſt ad mentem, & exemplum SS. P. N., *mortem quotidie ante oculos ſuſpectam habere*, & ſic per vivam ejus meditationem crebro ante exitus diem nobis ſepulchrum aperire. Cogita te in ſepulchro jacentem, eſcam vermium, putredinem, fœtorem intolerabilem, pulverem, ac cinerem. Quid tibi tunc proderunt honores, quos contra Profeſſionem tuam tam ſolicite quæſiviſti? Quid tibi tunc proderunt carnis commoda, quæ tibi contra Regulam, & ſtatum tuum procuraſti? Quid tibi tunc proderunt favor, & exiſtimatio hominum, quæ contra abjectionem ſtatus tui tam anxie quæſiviſti? Quid tibi tunc proderunt deliciæ in cibo, & potu, quibus tam cupide contra Regulam inhiaſti? Ecce! hic jaces peripſema omnium viventium. Ecce! hic jaces deſertus ab omnibus. Ecce! hic jaces, & tibi totus mundus periit. Si te vides ergo viventem, cogita & mortuum. Fors ſex adhuc reſtant dies, & eris talis, qualem te deſcripſi. O vanitas vanitatum, & omnia vanitas! tu cum SS. Patre aperi ante mortem ſepulturam tuam. Vere contemnes mundum, ad inviſibilia te totum transferes, & ſic feliciter morieris.

PUNCTUM SECUNDUM.

UT felix ſit mors noſtra, neceſſe eſt *mortem quotidie ante oculos ſuſpectam habere*, quatenus per vitam *patientiam amplectamur*, & ſic patientes in illa lethali infirmitate inveniamur. Ita SS. Pater, quia in vita corpus

ſuum

ſuum caſtigavit, atque in adverſis patiens fuit, etiam in calore febrium patientiſſimus extitit. Impatientia quippe in morbis ſolum ex hoc provenit; quia nimis inordinate corpus noſtrum diligimus. Quia animas noſtras perdere timemus. Quia carnem noſtram odio habere negligimus. Quia in adverſis impatientes ſumus. Quia pecccata noſtra non conſideramus. Quia futuras pœnas, quæ nos manent, non penſamus. Sane omnes cruciatus hujus vitæ umbræ ſunt, & ſomnium, qualescunque ſint, tam ratione naturæ, quam brevitate temporis, reſpectu illorum, quæ peccatores manent in futuro. Quid enim valent eſſe, cum ad illa ſæviſſima comparantur? Quid ad ignem inextinguibilem? Quid ad ſæcula infinita? Pro his quis non eligat mille mortibus ſubjici? Non eligat centum annis pati intenſiſſimos dolores? Tu cum SS. Patre tuo corpus tuum caſtiga. Futuras pœnas conſidera, & patiens eris in infirmitatibus. Patientia vero habebit opus perfectum. Feliciter morieris.

PUNCTUM TERTIUM.

UT felix ſit mors noſtra, neceſſe eſt *mortem quotidie ante oculos ſuſpectam habere*; quatenus per dilectionis exercitium in morte. Amori immori mereamur. Hoc modo promeruit SS. Pater Noſter inter Diſcipulorum manus ſtans exſpirare. Et quis averſionem erga Confratrem habeat, ſi cogitet hujus precibus adhuc hodie forſan in morte uti ad evadendum

dum horribiles tentationes inimici? Quis odium erga Confratrem foveat, si cogitet forsan adhuc hodie indigere ejus consolatione, & auxilio ad superandas angustias mortis? Quis vindictam spiret, si cogitet forsitan adhuc hodie ab illo per mortem separandum esse? Nullus sane. Quivis dimittet ex corde, ut dimittatur ipsi. Quivis amabit ex corde, ut mereatur sub ejus quem dilexit adjutorio, & solatio morte obire. Non enim dignus ultimo hoc fraternæ charitatis obsequio erit; qui per vitam amorem Fratribus noluit impendere. Væ autem tali! etenim qui non diligit manet in morte. Tu cum SS. Patre tuo ama Fratres tuos. Et o quanto hoc tibi in morte erit solatio? Scies; quia de morte translatus es ad vitam. Inter manus illorum ad cœlum pro te extensas exspirabis. Feliciter morieris.

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religiose! sæpe ingrederis sepulchrum tuum, ut visibilia contemnas, & invisibilia jugiter suspires? Desiderium pauperis exaudiet Dominus. An ex consideratione mortis modo adversa sustines, ut in morte patiens inveniaris? Patientia tibi necessaria erit, ut reportes repromissiones. An modo Fratres tuos diligis, ut ex dilectione in Fratrum corona mori valeas? Dilectio operiet multitudinem peccatorum. Dole, quod ad felicem mortem te ad exemplum, & doctrinam SS. Patris tui non melius disposueris. Propone ex consideratione instantis mortis

1. Visibilia contemnere, & invisibilia solum suspirare.

2. Patiens esse ad obtinendam patientiam in morte.

3. Fratres diligere, ut inter eorum manus exspirare merearis.

DIES XIX.

Quomodo Religiosus obtineat confidentiam erga Superiorem.

Omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala, a se absconse commissa, per humilem confessionem Abbati non celaverit suo. Cap. 7. v. 55. & 56.

PUNCTUM PRIMUM.

INter omnia plane media, quibus Religiosus in sua vocatione permaneat, valde necessarium, & efficacissimum est confidentia erga Superiorem. Hæc ab ea discedere, vel tantum in ea languere nunquam permittit. Unde statuit SS. Pater N. *Omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem Abbati non celaverit suo.* Ad istam confidentiam obtinendam considera, quod Deus non nisi per Superiorem ad Beatitudinem tuam te manuducere velit. Ipse enim caput est Monasterii; quia *Christi vices agere in Monasterio creditur,*

ditur, in tantum, ut ibi *cum ejus voluntate omnia agenda sint*. Quæ aguntur contra ipsius voluntatem, contra voluntatem Dei aguntur. *Qui vos audit, me audit*. Et hinc cum ipsius sit non tantum Religioso, quoad externum, sed etiam quoad internum statum prospicere, illum dirigere in viam salutis, quomodo prospiciet? Quomodo diriget, nisi ei internum, & externum statum aperuit? Quomodo rationem animæ ipsius in die judicii redditurus est, nisi prius ipse Abbati rationem de eadem in hoc sæculo reddiderit?

PUNCTUM SECUNDUM.

UT Religiosus *omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconse commissa, per humilem confessionem Abbati non celaverit suo*, Necessaria est continua cura, & vigilantia istius erga illum. Quomodo enim Religiosus confidentiam haberet erga Abbatem, si toto anno nunquam illum de statu interno interrogaret? Quomodo confidentiam haberet, si Abbas de profectu, vel defectu suo nullam curam gereret contra expressum mandatum SS. P. N., *ut non solum detrimenta gregis sibi commissi, non patiatur; verum etiam in augmentatione boni gaudeat?* Quomodo confidentiam haberet, si Abbatem raro & a longe solum videret, cum tamen juxta Regulam communibus exercitiis, quantum officii ratio permittit, teneatur interesse: *Mandata Domini capacibus discipulis verbis proponat; simpli-*

cioribus vero factis suis Divina Præcepta demonstret. Omnia vero, quæ Discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda: ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur, ne quando dicat illi Deus peccanti: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam? Quomodo confidentiam haberet, si Abbas per annum vix semel, aut bis ei loqueretur, cum tamen juxta Regulam teneatur *secundum illius qualitatem, & intelligentiam se ei conformare, modo suasionibus, modo increpationibus, modo blandimentis ipsius animam regere?* Quomodo confidentiam haberet, si contra Regulam Abbas *plus gereret solicitudinem de rebus transitoriis, & terrenis, atque caducis, & non cogitaret; quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est?* Vel ut ait S. Greg. Si dum caderet asina, subleverat eam, cum periret anima, non reputaret? Quomodo confidentiam haberet? si Abbas regimen animarum totaliter aliis contra Regulam committeret?

PUNCTUM TERTIUM.

NE Religiosus *omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem Abbati celaverit suo*, oportet, ut omnem proprium amorem, & propriam existimationem deponat. Sola propria existimatio in causa est, ut confundi, & confundere nos erubescamus. At non me-

melius est modo confundi coram uno homine, quam in futuro coram omnibus. Solus amor proprius in causa est, ne confidentiam ad Superiorem habeamus. Timemus, ne ad illud aut istud officium, quod ambius, vel habemus; assumamur, vel ab eo deponamur. Sed nonne si revera Deum, & animarum nostrarum salutem quæreremus, vel ideo confidentia erga Superiorem nobis habenda esset? Quid proderit nobis, si vel honorem, vel commodum corporis, quæ ex officio speramus, adepti fuerimus, & interim animæ detrimentum patiamur? Sequamur ergo voluntatem Dei, ordinationem Dei, vocationem Dei. Non aliter nos ad cœlum manuducet Deus, nisi per Abbatem. Ita omnes antiqui Patres, & cum ipsis SS. Pater Noster nobis asseverant.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! confidentiam habes erga Abbatem, quia Dei voluntas est? Vade ad Ananiam. An confidentiam habes erga Abbatem, quia ipse redditurus est rationem pro anima tua? Ipse pervigilat pro te, quasi redditurus rationem pro anima tua. An confidentiam habes erga Abbatem suppressa æstimatione propria, & amore proprio? Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino. Dole, quod hucusque nullam confidentiam erga naturalem Superiorem tuum habueris. Propone

1. Confidentiam habere; quia ita voluntas Dei est:

2. Quia Superior debet ita regere animam tuam, ut possit rationem reddere.

3. Quia melius est confundi, & juvari ab uno homine, quam coram toto mundo erubescere, & ab eo damnari.

DIES XX.

Quibus mediis castus amor fraternitatis obtineatur.

Charitatem fraternitatis casto impendant amore. Cap. 72. v. 8.

PUNCTUM PRIMUM.

SIgnum Religiosi vere Benedictini est, si juxta præceptum SS. P. *Charitatem fraternitatis casto impendat amore.* In hoc cognoscent omnes, quia Discipulis SS. Patris est, si habuerit dilectionem ad Fratres. Porro ad hanc dilectionem ideo adstringimur, quia status Religiosus teste S. Basilio præcipue consistit in voto indivisibilis concordiæ. Hinc noster amor & concordia multo major esse debet, quam naturalis membrorum compago. Ad hanc vero perveniendi medium primum est bonum exemplum. Nam Religiosi conversatio in omnibus ita irreprehensibilis esse debet, & sancta, ut Confrater inde ad observantiam Regulæ proficiat.

ficiat. Ut se exemplo illius in suis angustiis consoletur. Ut ab exemplo illius omnes difficultates disciplinæ regularis superet. Ut lapsus exemplo illius erigatur. Ut erectus exemplo illius ferventius progrediatur. Ex hoc enim exemplo mox sequitur perfecta charitas fraternitatis. Erunt ita unum inter se, ut habeant cor unum, & animam unam. Idem semper agent negotium. Eidem Domino servient, & eodem modo. Eadem militia hostes suos superabunt. O quam meritorium est, sic Fratres habitare in unum!

PUNCTUM SECUNDUM.

AD *charitatem fraternitatis casto amore impendendam* alterum medium est, ut eandem opere, & servitiis comprobemus. Nam sicut exemplo, ceu quodam glutino animos nostros conglutinamus; ita servitiis hoc glutinum inseparabile conservamus. Nulla ergo nos occasio prætereat, qua servitia charitatis Fratribus exhibere omittamus. Qui communia officia Monasterii obeunt, tanta promptitudine, & benevolentia eadem peragant, ut & in responsis, & in servitiis meram charitatem spirent. Qui vero nulli officio deputati sunt, certatim honore, obedientia, atque obsequio se prævenire studeant, in tantum, ut quilibet sibi viliorem, & graviorem laborem eligat, & innocens pro alterius culpa libenter pœnam subeat. O quam jucundum est, sic Fratres habitare in unum!

PUNCTUM TERTIUM.

AD *charitatem fraternitatis impendendam casto amore*, tertium medium est oratio, quam unus pro altero fundit. Nisi enim pro Fratribus nostris oremus, eos certe, nec ut nos ipsos amabimus, Ut vero ferventer pro ipsis intercedamus, necesse est, ut eorum necessitates nostras faciamus. Nec timendum, quod inde nobis de merito nostro quidquam decedat. Quisquis enim pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex charitate suffragatur. Et pro semetipso tanto citius exaudiri merebitur, quanto magis devote pro aliis intercesserit. Deus quippe pacis, & concordiæ Magister, qui docuit unitatem, sic orare unum omnibus voluit, quomodo ipse in uno omnes portavit. Sic tres Juvenes in fornace uno ore eandem orationem orabant, & ideo propter charitatis unitatem exaudiri meruerunt. Promissum æternæ Veritatis est. Si duo ex vobis consenserint super terram, quidquid petierint, fiet eis à Patre meo, qui in cœlis est. Quid ergo Pater cœlestis illis negabit, qui tam ferventer & perseveranter pro se orant? O quam proficuum est, sic Fratres habitare in unum!

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose, ad charitatem fraternitatis obtinendam omnibus bono exemplo præluces? Væ illi, qui scandalizaverit unum de pusillis istis! An obsequia charitatis præstas? Filioli! non diligamus verbo, sed

opere,

opere, & veritate, an oras pro Confratribus? Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos. Dole, quod ista media charitatis hucusque non adhibueris. Propone

1. Ad obtinendam charitatem fraternitatis omnibus bono esse exemplo.
2. Omnibus obsequia fraternæ charitatis impendere.
3. Pro omnibus orare.

DIES XXI.

Cur votum stabilitatis tam arcte servandum sit.

Suscipiendus in Oratorio promittat de stabilitate sua. Cap. 58. v. 18.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctissimus Pater expertus malam vitam Gyrovagorum voto ad stabilitatem suos Monachos adstrinxit. *Suscipiendus in Oratorio promittat de stabilitate sua.* Cur? *Ut a sæculi actibus se faciat alienum.* Nihil enim Monacho sic contrarium est, quam conversatio cum sæcularibus. Monachus quippe ex Professione sua mundo, & omnibus actibus ejus mortuus esse debet. Unde S. Antonius inprimis suis Discipulis præcipiebat, ut sæcularibus nullo modo commiscerentur. Rationem

reddit. Quod eſt piſcis extra aquam; hoc Monachus eſt extra cellam. Piſcis extra aquam moritur. Et Monachus ſæcularibus, aut eorum negotiis ſe immiſcens, perdit ſpiritum vocationis ſuæ. Quis enim tetigit picem, & non inquinatus eſt? Neceſſe eſt eum, qui ſæculum iſtud amat ejus actibus maculari. Quis amavit periculum, & in eo non periit? Neceſſe eſt eum, qui in mundo cum hominibus delicatis, ſuperbis, atque carnalibus verſatur delicatum, ſuperbum, atque carnalem fieri.

PUNCTUM SECUNDUM.

SUſcipiendus in Oratorio promittat de ſtabilitate ſua. Cur? *Ut ſe omni hora cuſtodiat a vitiis cogitationum, oculorum, linguæ, manuum, ac pedum.* Qui enim ſemel ſtabilitatem promiſit, omnem cogitationem mundi, omnem aſpectum mundi, omnem ſermonem de mundo, omne negotium mundi, omnem regreſſum in mundum abjicere debet. Quot vitiis & tentationibus inquinabitur, & quot ſanctas cogitationes perdet, qui de mundo libenter cogitat? Quod affectibus, & inordinatis paſſionibus torquebitur: qui rurſus mundum reſpexerit? Quot labores neceſſarios vocationis ſuæ omittet, qui ſæculi negotia tractaverit? Quot retrogreſſus in converſione morum ſuorum faciet, qui in mundo vagari præſumpſerit? Nil enim & cogitationibus, & affectionibus noſtris tam proprium, quam cor noſtrum rurſus occupare, de quo ſemel ejectæ ſunt.

sunt. Facillime in pristina vitia, & peccata labitur, qui pristinas occasiones, & pericula peccandi repetit. Impossibile est, ut Monachus eum, quem in solitudine retinet fervorem, in mundo conservet. Ubi vero vel parum de eo remiserit, sensim ad externa solatia, ab his ad minora, a minoribus ad majora peccata defluet, donec ex principiis mundi in profundo peccatorum peccatum penitus contemnat.

PUNCTUM TERTIUM.

SUscipiendus in Oratorio promittat de stabilitate sua. Cur ut opera bona vocationis suæ in claustro operetur. *Officina enim, ubi hæc omnia diligenter operemur, sunt claustra Monasterii, & stabilitas in congregatione.* Quis enim orationi, sine qua Monachus non est, intendet in sæculi strepitu? Quis puram atque perfectam in sæculo quod Deum non amat, possidebit charitatem? Quis tot obligationes vocationis in tumultu sæcularium negotiorum implebit, sine quarum tamen observantia non salvabitur. Imo quis vocationi suæ satisfaciet qui modernum strepitum negotiorum, & causarum in Monasteriis ipsis prudenter non declinaverit? O Religiose! o Monache! qui solitudini te semel addixisti, quomodo poteris illam sine votifragio deserere? Quomodo poteris opera vocationis tuæ sine contemptu Professionis tuæ relinquere, negligere, omittere, qui solemne eadem usque ad mortem constan-

ter, & usque ad minimum apicem perfecte explendi votum coram Deo, & Sanctis ejus vovisti? Cogita, *si aliter feceris, a Deo te damnandum, quem irrides*: & stabilis eris.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! stabilitatem conservas, ne sæculi actibus inquineris? Fuge mundum; totus in maligno positus est. An stabilitatem servas, ne pristinis vitiis impliceris? Cum mundo perverso, perverteris. An stabilitatem servas, ne opera vocationis negligas? Mane in vocatione tua: non expedit tibi vagari extra claustrum. Dole, quod voto stabilitatis non penitus satisfeceris. Propone stabilitatem servare,

1. Ad vitandos sæculi actus,
2. Ad vitanda sæculi vitia,
3. Ad explenda opera vocationis tuæ.

DIES XXII.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ POENITENTIS.

De continua cordis compunctione.

Mala sua præterita cum lachrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. Cap. 4. Instr. 58.

PUN-

PUNCTUM PRIMUM.

ECce; mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod JEſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus. Tacita loquebatur compunctionem cordis ſui. Ita & Religioſus juxta præceptum SS. Patris *mala ſua præterita cum lachrymis vel gemitu cordis quotidie in oratione Deo confiteri debet.* Nam ſicut prædicatio Evangelii Apoſtolis, ita Monachis peccata ſua plangere proprium eſt. Et quis non libenter fleret eadem, cum etiam de propitiato peccato non poſſimus eſſe ſecuri? Quis non continuo fleret, cum neſciat, qua hora Dominus ad judicium venturus ſit? Quis non perſeveranter fleret, cum certo ſciat, ſe pœnam maximam vel in purgatorio, vel in inferno promeruiſſe, & tamen neſciat, an illam Dominus jam condonaverit? Quis non jugiter fleret per totam vitam, cum brevi luctu æternum luctum poſſet evadere? Quis non ſemper fleret, cum inde æternum conſolandus ſit? Ergo cum S. M. Magdalena continuo juxta ſtatum tuum, qui alius non eſt quam pœnitentiæ, peccata tua flere ſatage.

PUNCTUM SECUNDUM.

STabant autem juxta crucem JEſu Mater ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Quis ſenſus compunctionis fuerit S. M. Magdalenæ,

dum

dum se non parvam causam mortis dilecti sui Redemptoris, ac Dei esse cogitavit. An non commoriebatur cum Christo? Hoc & status tuus requirit a te. Nam Monachus mundo, & universis ejus desideriis debet esse crucifixus Hoc & SS. Pater a te requirit, dum dictis mox subjungit: *& de cætero se emendare.* Emendatione enim malarum affectionum Christo configimur in cruce. Et quis non eas libenter cum S. M. Magdalena emendaret, quando cogitat, illas mortem Salvatoris sui caussasse? Quis non tota vita sua libens in emendatione malorum præteritorum laboraret, ne rursus Christum in semetipso crucifigeret? Hæc ergo cogitatio sit continua materia compunctionis tuæ. Ipsa vero compunctio configat omnes affectus tuos cruci Christi.

PUNCTUM TERTIUM.

BEata Maria Magdalena non contenta, quod semel in domo Pharisæi peccata sua fleverit, quod mundo, & omnibus ejus desideriis sub cruce mortua fuerit, in horridam speluncam se abdidit, austerrimam pœnitentiam egit. Et quo ex motivo? haud alio sane, quam Christi sui crucifixi. Voluit JEsus omnia per vitam, & mortem suam pati, ut Divinæ Justitiæ satisfaceret. Idem tibi injungit SS. P. ut *satisfacias reus ex hoc*, quod deliquisti. Aspice ergo JEsum tuum pro te pœnitentem cum M. Magda-

lena,

lena, & ſequere, En! corpus laboribus, ſolitudine, jejuniis, vigiliis, fame, ſiti, doloribus, morte mortificat. En! animum conturbat, & contriſtat excidio Jeruſalem, & cujusvis animæ fidelis, agonia, & derelictione in cruce. En! animam omni injuriarum generi exponit, ut ferme ſemper ſit poſitus in ſignum cui contradicatur. Et qua patientia, humilitate, & obedientia? Tu cogita, ut in perpetua animæ & corporis humiliatione, & compunctione vivas. Primam aſſequeris per humilitatem, patientiam, amorem injuriarum, recordationem mortis, judicii inferni. Alteram obtinebis ſilentio, ſolitudine, vili victu, & amictu, labore, vigiliis, pœnitentiis regularibus, correctionibus, doloribus corporis. Et cur non libenter, & continuo amore Juſtitiæ Divinæ hæc omnia, & multo plura perferres, quando JEſus tuus per totam vitam, & mortem tantam ſatisfactionem præſtat? Cur non per vitam, & mortem Divinæ Juſtitiæ ſatisfacere ſtuderes, cum B. M. Magdalena certa de remiſſione peccatorum in auſterrima pœnitentia vivit, & moritur?

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! juxta ſtatum tuum hucusque continuis pœnitentiæ gemitibus peccata tua fleviſti? Si modo non luges, lugebis in æternum. An juxta ſtatum tuum per cordis

dis compunctionem jugiter mala præterita emendasti? Nulla est pœnitentia, si plangis, & plangenda rursus committis. An juxta statum tuum compunctione interna & externa per vitam & mortem satisfacere studuisti? Deus justus justitias diligit. Dole, quod hucusque per spiritum compunctionis continuæ statui tuo non satisfeceris. Propone continuum fovere compunctionis spiritum

1. Per gemitus,
2. Per emendationem,
3. Per satisfactionem.

DIES XXIII.

De Pœnitentiis Regularibus.

Secundum modum culpæ, excommunicationis, vel disciplinæ mensura debet extendi. Cap. 24. v. 1.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctissimus P. N. mirus semper disciplinæ regularis amator extitit, ut tam ex Regula, quam ex vita ipsius constat. Plurima capitula de pœnitentiis regularibus præscripsit. Nullum ipsemet errorem sine correctione, & pœnitentia abire passus est. Fundavit enim SS. Ordinem suum super petram humilitatis. Impossibile autem est humilitatem implantare sine humiliatione. Humiliatio via est ad humilitatem,

tatem, ſicut patientia ad pacem, ſicut lectio ad ſcientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis; viam non refugias humiliationis. Nam ſi non poteris humiliari; non poteris ad humilitatem provehi. Exercitio enim virtus acquiritur. Gaude igitur, o Religioſe! dum juxta Regulam *ſecundum modum culpæ, excommunicationis, vel diſciplinæ menſuram extendit* Superior, humiliter eam accipe. Hac, & non alia via veram acquires humilitatem.

PUNCTUM SECUNDUM.

VUlt SS. P. N., ut *ſecundum modum culpæ, excommunicationis, vel diſciplinæ menſura debeat extendi*; quatenus ſui Diſcipuli jugiter ut aurum probentur in camino patientiæ. Enimvero ſi Monaſteria ſunt paradiſus charitatis, uti eſſe debent; paurum aut nihil patiendum occurreret Religioſis, niſi per pœnitentias regulares exercerentur. Quot non falſa humilitate, & patientia deciperentur? Putarent ſe humiles, putarent ſe patientes eſſe; ſed tangeres montes, & fumigarent. Vix verbum correctionis objiceres, mox aut in murmura, aut in apertam contradictionem erumperent. Tumore, & impatientia pleni forent. Dum enim pace, & charitate fruebantur, ex occaſione, & non ex propria virtute humiles fuerunt, ac patientes. Gaude igitur, o Religioſe! dum tibi aliqua regularis pœnitentia injungitur. Exercitium habes patientiæ. Sine hac enim nunquam conglorificaberis Salvatori tuo.

PUNCTUM TERTIUM.

SAnctiſſimus Pater demum præcipit, ut *ſecundum modum culpæ, excommunicationis, vel diſciplinæ menſura extendatur;* quatenus ſui Religioſi in duris, & contrariis rebus obedientiam præſtare diſcant. Qui enim non continuo per adverſa in obedientia exercetur, ad proprium, & non alienum placidum obediet. An non ipſemet Salvator per paſſionem factus eſt obediens uſque ad mortem? Adverſitas ſola obedientiam a proprio judicio, & a propria voluntate purgat. Deo, & non homini obedire facit. Hinc vix unquam puram, atque perfectam obedientiam invenies, niſi in adverſis Superiorum mandatis. Non vult SS. Pater aliquem recipere in numerum Filiorum ſuorum, niſi per patientiam in obedientia diutiſſime probatus fuerit. Bene prævidit contumaciam, ſuperbiam, & animoſitatem eorum, qui duntaxat in gratis obedire conſueverunt. Ad quamcunque graviorem obedientiam reſiſtunt. Imo nonnunquam jugum obedientiæ penitus excutiunt. Gaude igitur, o Religioſe! dum regulares pœnitentias accipis. Occaſionem habes exercendi obedientiam. Etenim absque iſta nunquam eris Filius SS. Patris.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! ad exercendam humilitatem libenter pœnitentias regulares accipis? Humiliatio Mater eſt humilitatis. An ad exercendam patientiam libenter pœnitentias

tentias regulares ſuſcipis? Confuſio patientiam probat. An ad exercendam obedientiam libenter pœnitentias regulares ſuſtines? Adverſitas purgat, & perficit obedientiam. Dole, quod hucusque pœnitentias regulares tantum abhorrueris. Propone cum gaudio illas acceptare ad exercitium

1. Humilitatis,
2. Patientiæ, &
3. Obedientiæ.

DIES XXIV.

De Vigiliis.

Nocte ſurgamus ad confitendum Creatori noſtro ſuper judicia juſtitiæ ſuæ. Cap. 16. v. 7. & 8.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctiſſimo Patri Noſtro & nihil antiquius, & ſuavius nihil erat, quam nocturnis inſtare vigiliis. Hinc promeritus eſt Creatorem ipſum facie ad faciem videre. Unde & nobis præcipit: *Nocte ſurgamus ad confitendum Creatori noſtro ſuper judicia juſtitiæ ſuæ.* Vigilandum igitur eſt ad confitendum Creatori Noſtro. Nox etenim quieta opportunam ſe præbet orantibus. Animus carnalibus aſpectibus expeditus eſt. Collectus ſenſus totum hominem divinis aſpectibus ſiſtit. Nullæ aliarum oc-

cupationum curæ, ac solicitudines illum distrahunt. At non proderunt vigiliæ devotioni, nisi mens etiam occasione utatur, & ad fervorem semetipsam excitet. Quomodo vero Religiosus ad vigilias non ferveat, qui vi Professionis suæ tam stricte, & ante omnia alia Ordinis exercitia ad decantandas *laudes Creatori super judicia justitiæ suæ* obligatur? Monachi summum negotium est, Deo puram orationem offerre.

PUNCTUM SECUNDUM.

NOcte surgamus. Vigilandum enim est ad mortificationem corporis. Vigiliæ fervorem concupiscentiæ domant. Nocturna phantasmata, & illusiones prohibent. Cogitationes perversas tollunt. Affectiones naturales supprimunt. Castimoniam corporis perfectam pariunt, atque conservant. Sane SS. Patres non nisi cum timore, & tremore somnum capiebant, ne ab inimico tale quid pati deberent, unde per totam inde diem humiliati, & contristati ingrederentur. Ita sanctus Pachomius, cum graviter ab Angelo Sathanæ colaphizaretur, instanter a Deo gratiam vigiliarum postulavit. His armis munitus, semper se excitabat: persequar inimicos meos, & non convertar, donec deficiant. Quomodo ergo Religiosus vigilias non amet, qui incessanter a corpore suo impugnatur? Non vincet hunc hostem, nisi vigilaverit.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

NOcte surgamus. Vigilandum enim est pœnitentibus. In vigiliis cogitatio Divini Judicii amplius cor penetrat. Tenebræ nocturnæ vivacius tenebras exteriores præsentant. Peccata præterita & numerosius, & gravius animo obversantur. Lachrymæ, & gemitus uberius obtinentur. Magna satisfactio per mortificationem somni Deo præstatur. Placatur Divina Justitia, quæ innumeris peccatis per noctem a mortalibus irritatur. Hinc S. Arsenius Monacho plus temporis ad somnum, quam horæ spatium non indulgebat. Monachi quippe est sua, & aliena peccata plangere. Et quo tempore magis planget: quam eo, quo copiosius perpetrantur? Quomodo ergo o Religiose! in lecto stertas, dum Deus tuus tam immaniter offenditur? Monachi est pro se, & toto mundo Divinam mitigare Justitiam.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! media nocte surges ad confitendum Domino? Tunc erunt acceptabiles nostræ vigiliæ, si sincera devotione ministerium nostrum divinis obtutibus offeratur. An nocte surges ad mortificationem corporis? Somnus mentem, corpusque inquinat. An nocte surges ad compunctionem cordis? Vigiliæ compunctionem augent. Dole, quod hucusque S. Vigilias ita abhorrueris. Propone ergo libenter vigilare.

1. Ad confitendum Domino,
2. Ad mortificandum corpus,
3. Ad compungendum animum.

DIES XXV.

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

De Patientia in persecutionibus pro justitia.

Persecutiones pro justitia sustinere. Cap. 4. Instr. 33.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctus Jacobus Major a Christo ad Apostolatum vocatus, omnia, bona, cunctaque mundi desideria reliquit. Amore ferventissimo in Magistrum ferebatur: unde præ cæteris DivinorumMysteriorum particeps fieri meruit. Summo autem zelo Evangelium in Judæa, & Samaria prædicavit. Hinc immensas illorum populorum persecutiones libenter pro justitia passus est, ad hanc quoque patientiam nos hortatur SS. P. N; dum ait: *Persecutiones pro justitia sustinere.* Nullus enim est qui pie velit vivere, qui persecutionem pati non debeat. Etiam Religiosi in claustris ab his exempti non sunt. Qui namque presse vestigiis SS. Patris insistere, & Regulam ipsius ad litteram observare voluerit, multa oportebit, eum pro Nomine JEsu pati. Inimici erunt

dome-

domeſtici ejus. Alii eum ceu ſcrupuloſum ridebunt. Alii ſingularitatis illum accuſabunt. Rurſus alii ſuperbiæ, ambitionis, aut cupiditatis placendi hominibus condemnabunt. Paſſim contemnetur, aut etiam injuriis, & contumeliis usque ad mortem laſſeſcetur. Sed, o quam bonum eſt, ſuſtinere perſecutionem pro juſtitia! proxima, imo, eadem cum SS. Martyribus debetur ei corona. O Beatos, iterumque beatos illos Religioſos, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Libenter igitur cum S. Jacobo patere pro juſtitia perſecutiones, ut gloriæ Martyrum particeps fias.

PUNCTUM SECUNDUM.

SAnctus Jacobus Apoſtolus ab infidelibus in promulgatione Evangelii innumeras perſecutiones cum gaudio paſſus eſt. Ad hoc nos SS. P. N. monet, dum aſſerit: *Perſecutiones pro juſtitia ſuſtinere.* Nunquid & ipſe Salvator propoſito gaudio ſuſtinuit perſecutiones? Sane ſi nullum eſſet præmium, ſolum exemplum idoneum foret ad perſuadendum nobis, ut cum gaudio perſecutiones pro juſtitia tolleremus. Si namque proximorum paſſiones erigunt nos, quantam nobis alacritatem effecerint ipſius Domini perſecutiones? Dum enim compatimur, conglorificabimur. Filii Dei erimus. Nullis affectuum paſſionibus ſuccumbemus. Ipſis perſecutoribus cum Filio Dei, atque cœleſti ejus Patre manſuetudinem

exhibebimus. Modeſtia iſta omni diademate ſe poſſidenti erit utilior. Quid enim beatius, quam inteſtino liberari bello? Nam quamvis plurima pace externa fruamur; intra nos vero turbulentia ſit; nihil externa quies nobis proderit. Omne autem bonum, omnem gloriam poſſidebit, qui pacem habuerit internam. Veram ergo pacem internam acquires, ſi cum S. Apoſtolo didiceris, cum gaudio externas pro juſtitia perſecutiones ſuſtinere. Semper geres bellum internum cum cogitationibus tuis, quando perſecutiones pro juſtitia pati recuſaveris.

PUNCTUM TERTIUM.

SAnctus Apoſtolus Jacobus tam conſtanter perſecutiones pro juſtitia paſſus eſt, ut prius mori quam perſecutoribus cedere voluerit. Ad hanc conſtantiam etiam SS. Pater nos excitat. Dum dicit: *Perſecutiones pro juſtitia ſuſtinere.* Quomodo enim perſecutoribus juſtitiæ cedat, qui Dei juſtitiam metuit? Quomodo perſecutoribus juſtitiæ cedat, qui crimen gloriæ ſuæ inferre timet? Quomodo perſecutores juſtitiæ formidet, qui novit imbecillitatem eorum? Hodie ſunt, cras non comparebunt. Non plus perſequi poſſunt, quam Deus permiſerit. Et quid commodi afferre poſſunt, ſi perſequi deſiſtant? Favorem infamis, & imbellis hominis habebis, ſed favorem omnipotentis amittes. Pacem habebis cum eo, qui odit pacem. Pacem amittes cum

eo,

eo, qui solus pacem, omnem sensum exuperantem, dat. Persecutionem illius, qui corpus solum potest occidere, evasisti. Persecutionem ejus, qui corpus & animam perdit in gehennam ignis, incurristi. Elige, cui servire velis. Si sapis, cum glorioso Apostolo Jacobo usque ad sanguinis effusionem pro justitia constanter pati decernes.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! libenter persecutionem pro justitia sustines? Minus pie vivis, si minus persecutionem pateris. An cum gaudio persecutionem pro justitia sustines? Abominantur impii eos, qui in recta sunt via. An constanter usque ad mortem persecutionem pro justitia sustines? Ambulans recto itinere, & timens Deum despicitur ab eo, qui infami graditur via. Dole, quod hucusque persecutionem pro justitia sustinere timueris. Propone

1. Libenter,
2. Gaudenter,
3. Constanter persecutionem pro justitia pati.

DIES XXVI. IN FESTO S. ANNÆ.

De modis bene orandi.

Orationi frequenter incumbere. Cap. 4. Instr. 57.

PUNCTUM PRIMUM.

INeffabili favore Divina providentia S. Annam prævenit. Conjugem ei dedit sanctum, & Filiam Matrem Dei futuram. Quæris, unde has gratias promeruerit? Orabat frequenter & ferventer in horto suo. Oratio frequens Divinam misericordiam, & gratiam semper impetrat. Oratio frequens Divinum auxilium, quo ad perfectionem status nostri pervenire valeamus, jugiter consequitur. Etenim siquis gratiam vocationis vel non obtinet, vel perdit, ex eo non obtinet, aut perdit, quia arma orationis fortissima ad expugnandam Dei misericordiam projecit. Unde magnus Antonius suo Discipulo præcipit: ante omnia sine intermissione ora. Cassianus vult, ut Monachus totam suam perfectionem in eo ponat, quod sine intermissione oret, & internam quietem, & puritatem cordis conservet. SS. P. N. statuit, *orationi frequenter incumbere.* At quomodo? Non labiis, sed corde. Non speculatione, sed affectu. Nil prodest meditatio veritatum, si absit amor, & executio veritatum. Bene oravit, qui dixit: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Ut eum sequi possis, distractionem, & teporem evita. Voluntaria namque distractio ex insensibilitate cordis provenit, cujus intellectus obcæcatus, & voluntas obdurata est. Etenim si ingentia inde provenientia damna, multiplicitatem scilicet malarum cogitationum, & curarum, tepo-

po-

porem omnium exercitiorum, amiſſionem gratiæ ſenſibilis, fervoris, ac devotionis conſideraret, cum SS. Moyſe, Macario, Climaco etiam involuntarias diſtractiones ſummopere defleret, & deteſtaretur. O ſi hic modus orandi in omnibus Monaſteriis ad noſtra usque tempora illæſus pertranſiſſet, in primo fervore & flore totus Ordo adhuc ſtaret, & floreret!

PUNCTUM SECUNDUM.

ANgelicam virtutem SS. Anna poſſidere debuit, ut Reginam Angelorum digne educare potuerit. Ejus fides, ſpes, charitas tam inſignes fuerunt, ut omnes Antiquæ Legis fœminas longe poſt ſe reliquerit. Unde vero tantam Sanctimoniam adepta eſt? Illud Eccl. 18. v. 12. jugiter obſervabat. Non impediaris orare ſemper. Qui enim ſe ante orationem non præparat, eſt quaſi homo, qui tentat Deum. Hinc Sancti ſemper ante orationem ſe recolligebant. S. Baſilius ſe ſuper omnia viſibilia, & inviſibilia elevabat, atque ante conſpectum magni Dei ſiſtebat, ne propria conſcientia condemnaretur. S. Climacus coram Deo magno cum timore apparuit, ne ejus ſupplices preces rejicerentur. SS. P. N. ſe ſiſtebat ante conſpectum Dei, & SS. Angelorum. Sicut autem, qui tentat Deum, nil impetrat: Ita nihil impetrat, qui ſe ex oratione non emendat. Nihil impetrat, qui non prius remittit Fratri ſuo ex corde ſuo. Nihil impetrat, qui non Fratrem offenſum prius ſibi

reconciliat. Ut *frequenter ergo orationi incumbas* cum fructu Sanctimoniæ esto sine peccato saltem gravi. Vocationi tuæ satisfacere stude. Omnia terrena, vel alia negotia relinque ante orationem. Deo soli te uni per fidem, spem, & charitatem.

PUNCTUM TERTIUM.

MEnsura gloriæ correspondet mensuræ gratiæ. Ex hoc collige, quantam gloriam S. Anna in cœlis adepta fuerit. Una præ omnibus Sanctis prærogativa pollet; quia Mater Mariæ est. Per Filiam a Filio Dei omnia nobis impetrare potest. Unde hanc gratiam obtinuit? Semper in terris pure orare consuevit. Oratio enim si pura, & casta fuerit, cœlos penetrat & vacua non redibit. Velut fidelis nuncius mandatum peragit, & penetrat, quo caro non pervenit. Nam oratio est dulcis, & amica confabulatio cum Deo. Ex hoc conclude, quam pura, sine affectione terrena debeat esse oratio. Hinc Ægyptiaci Monachi, ut Cassianus testis est, sæpissime, sed & brevissime orabant, ne quidquam contra puritatem orationis Dæmon suggerere posset. Eadem mens est SS. Patris, dum jubet nos *frequenter orationi incumbere.* O sancta Anna! impetra & mihi a Filia tua gratiam bene orandi, quatenus gloriæ tuæ consors fieri merear. Amen.

PUN-

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! frequenter orationi incubuisti plus corde, quam ore orando? Sine intermissione orat, qui crebro & fervide cor ad Deum levat. An frequenter orationi ut incumberes, impedimenta orationis removisti? Non est speciosa laus in ore peccatoris. An ut frequenter orationi cum fructu incumberes, in puritate cordis orasti? Antequam sic invocaveris eum, dicet tibi: adsum. Dole, quod ad exemplum S. Annæ hucusque non rite oraveris. Propone orationi frequenter incumbere

1. Corde, plus, quam ore,
2. Remotis semper impedimentis, atque
3. Maxima cum puritate animæ.

DIES XXVII.

De Necessitate, utilitate, & merito laboris.

Occupari debent Fratres in labore. Cap. 48. v. 2.

PUNCTUM PRIMUM.

NIhil antiquius fuit SS. Patribus, quam laborare. Christus ipsemet. SS. Apostoli, Monachi omnes nobis exemplo sunt. Hinc & SS. Pater ait: *Occupari debent Fratres in labore.* Necessarius enim labor est ad animæ salutem. *Otiositas* namque *inimica*

est

eſt anima. Ubi ſemel animam Monachi occupavit, totum otioſum, & acedioſum reddit. Deo, & ſibi inutilis in cella ſedet, aut vario ex prætextu hinc inde diſcurrit. *Alios extollit*, ſeu impedit. Semper in deſideriis eſt. Perdit debitam obſervantiam, & reverentiam S. Regulæ. Amittit lumen oculorum, S. Inſpirationes. Conſolationem S. Spiritus non ſentit. Hinc paſſiones & pravi motus animi ſuſcitantur. Tentationes creſcunt, ut ex tædio, & ſubtractione gratiæ de uno ad aliud vitium miſerrime ruat. Conſtans proinde Ægyptiorum Patrum aſſertio fuit: ſi Monachus laborat ab uno; ſi otioſus eſt, ab innumeris dœmonibus impugnatur. Semper igitur aliquid operis facito, ut Diabolus te ſemper inveniat occupatum. Ad hoc ipſa te quoque SS. Profeſſio aſtringit, quatenus cum Apoſtolo dicere poſſis, in laboribus, in jejuniis, in vigiliis &c. *Tunc enim veri ſunt Monachi, ſi labore manuum vivant.*

PUNCTUM SECUNDUM.

OCcupari debent Fratres in labore. Utilis eſt labor ad ſpiritualem profectum. Nam qui ſemper legere, orare, aut pſallere vellet, ſtatim deſidioſus fieret. Varietas exercitiorum devotionem generat, miro modo auget, & ſemper conſervat. Hinc ſtudioſe cuivis cavendum, ne exteriora exercitia omittat. Internæ namque, ac præſtantiſſimæ virtutes vix, aut difficulter ſine externis pœnitentiæ operi-

bus

bus obtinentur. Unde Apostolus docet: Non prius quod spirituale, sed quod animale. Sicut nec Jacob speciosam Rachel, figuram contemplationis, adeptus est, donec prius se cum Lia, per quam externa exercitia intelliguntur, copulaverit. Unde Patres Ægyptii fervorem devotionis de studio laboris metiebantur. Neminem suscipiebant ad sua Monasteria, nisi qui laborare vellet. Experientia didicerant, nullum Professioni suæ satisfacturum; qui non laboraret. *Tunc enim veri sunt Monachi, si labore manuum vivant.*

PUNCTUM TERTIUM.

Occupari debent Fratres in labore. Laborare siquidem valde meritorium est. Per laborem cor compungitur. Cur enim laboramus, nisi in satisfactionem peccatorum nostrorum? Per laborem mens nostra humiliatur? Cur enim laboramus, nisi quia nos indignos ac ineptos ad jugem contemplationem agnoscimus? Per laborem corpus nostrum in servitutem redigitur. Cur enim laboramus, nisi ut salubri fatigatione irritamenta carnis, desideria mala, fastum, & delicias vitæ præsentis frangamus? Per laborem S. Paupertas exercetur. Cur enim laboramus, nisi ut contemptis sponte oblatis eleemosynis, more pauperum propriis manibus nobis victum procuremus? Per laborem charitas proximis exhibetur. Cur enim laboramus, nisi ut cum Apostolo sic laborantes suscipiamus infirmos? Per

labo-

laborem S. Obedientia impletur. Cur enim laboramus, nisi ut Præceptum Domini, & SS. Patris Nostri adimpleamus? Ecce! quam meritorius labor sit? S. Augustinus ait: Unicum suspirium illius, qui Divinum laborandi præceptum implet, citius exauditur, quam decem millia orationum ejus, qui illud contemnit. Et quid impedit servum Dei manibus operantem, vel etiam studentem, saltem subinde per elevationem mentis in lege Domini meditari, & psallere Nomini Domini Altissimi? *Tunc enim veri sunt Monachi, si labore manuum vivant.*

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! laboras ad vitandum otium? Semper aliquid faciendum est operis non tam propter victum, quam propter animæ salutem. An laboras ad proficiendum? Nullus proficiet, nisi ad laborem ferveat. An laboras ad augendum meritum? Quo labor erit humilior, & major; eo meritum, & merces erit uberior. Dole, quod ad laborem non majori diligentia incubueris. Propone laborare

1. Ad vitandum otium,

2. Ad proficiendum in S. Regula, & ejus exercitiis,

3. Ad augendum meritum, & coronam in cœlis.

DIES

DIES XXVIII.

Quomodo Præceptum Divini Amoris impleatur.

Imprimis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. Cap. 4. Inſtr. 1.

PUNCTUM PRIMUM.

PROponit nobis SS. Pater ſtatim ab initio omnium Inſtrumentorum bonorum operum mandatum maximum, & primum, *inprimis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute*, ut oſtenderet, omnia in verbo, & in opere, omnia ex amore Dei facienda eſſe. Tunc enim *ex toto corde diligimus Deum*, cum omnes ejus motus, affectus, & deſideria Deo ſoli conſecramus, & per ea nos ei unimus. Tunc *ex tota anima diligimus Deum*, cum ejus præſentiæ jugiter recordamur, & perfectiones ipſius meditamur. Tunc *ex tota anima diligimus Deum*, cum omnes ipſius, ac etiam corporis vires ad ipſius beneplacitum & ſervitium impendimus. Ubi namque theſaurus noſter eſt, ibi & cor noſtrum erit. Si Deus revera theſaurus noſter erit, cordis noſtri amor, & cogitatio jugiter apud ipſum erunt. Et cur non theſaurus noſter ſit? Tota Beatitudo noſtra eſt, hinc & finis omnium deſideriorum noſtrorum eſſe de-

bet. Unde Deum, ceu centrum omnium affectuum & cogitationum eligere debemus. Et si eum amisimus negligentes, ad eum tendamus reeligentes, ut perveniendo requiescamus. Ideo Beati; quia illo fine perfecti. O bone Deus! sic nec primum præceptum tuum adimplere studui.

PUNCTUM SECUNDUM.

D*Ominum Deum ex toto corde, ex tota anima, & tota virtute diligimus*, si mandata ejus, & S. Regulam non tantum externe observamus, sed ex interno motu Divini amoris, qui vita bonorum operum est, adimplemus. Nullus Professioni suæ, nec Regulæ, nec statutis satisfaciet, etsi exacte omnia servet, nisi ex implicito saltem motivo Divinæ charitatis observet. Nullus suis jejuniis, vigiliis, oratione, psalmodia, labore, mortificatione Deo placebit, nisi comitante amore omnia ista peragat. Amor semper in corde Religiosi utpote Filii ardere debet, & affectum suum opere probare. Et cur non omnia ex amore agas? Breve præceptum tibi præcipitur. Dilige, & fac, quod vis. Sive taceas, dilectione taceas. Sive clames, dilectione clames. Sive emendes, dilectione emendes. Sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis. Non potest de illa radice, nisi bonum existere. Bone Deus! summum & unum bonum meum! quot non perdidi opera, & actus virtutum; quia te amare non studui?

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

D*Ominum Deum, ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute diligimus*, ſi omnem alienum amorem corde, & anima excludimus, atque tota virtute Deum juxta obligationem ſtatus noſtri illum colimus, & amamus. Cor amore creaturarum occupatum Deum plene amare non poteſt. Omnis ejus affectus rapitur ad id, quod amat. Anima mundanis cogitationibus, & affectionibus deluſa, Deum plene amare non poteſt. Omnis ejus cogitatio, & affectio in terra, quam amat, & cogitat, ſemper verſatur. Cor, & anima, quæ ſe alii, quam vocationis ſuæ negotio applicant, non totis viribus amare poſſunt. Semper ad diverſa diſpergitur conatus eorum. Ad amorem perfectum oportet, ut omnia viſibilia & cogitatione, & affectione relinquamus. Oportet, ut nihil amplius ſciamus de hoc mundo, & iis, quæ in mundo geruntur; Oportet, ut nulla affectione rei terrenæ occupemur; quia hoc amoris *plurima deſtructio eſt.* Oportet, ut exercitio S. Regulæ ex amore jugiter omnes vires noſtras impendamus; quia hoc unum eſt neceſſarium. Verbo, ſi quid aliud diligendum occurrit in animam, ad Deum, quo totus impetus recurrit, rapiatur. O bone Deus! non miror tepiditatem amoris mei. Cor meum plenum eſt terrenis affectionibus.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! Deum ex toto corde, tota anima, & ex omnibus viribus amasti? Hoc mandatum primum, & maximum est. An Regulam, & statuta, cæteraque opera virtutum ex motivo Divini amoris observasti? Major horum est charitas. An ob charitatis Divinæ acquisitionem omnibus creaturis renunciasti? Nemo potest duobus Dominis servire. Dole, quod hactenus præceptum charitatis non studueris adimplere. Propone

1. Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus diligere.
2. Regulam, státuta, cæteraque opera virtutum ex puro Divini amoris motivo observare.
3. Ob Divinæ charitatis obtentum omnibus creaturis nuncium mittere.

DIES XXIX.

De Exercitio S. Paupertatis.

Nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit. Cap. 33. v. 6.

PUNCTUM PRIMUM.

SI teste S. Bernardo non paupertas sola, sed amor paupertatis vere pauperem facit. Et sicut dives de obtentis divitiis gaudet, ita verus paupertatis amator de omni occasione, qua pauperior fiat gaudet: Ideo merito quivis Religiosus exacte studebit hoc, quod

SS.

SS. Pater monet opere implere: *Nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit.* Primo igitur in ſupellectili nihil vanum, pretioſum, aut ſuperfluum habebit. Religioſus namque ſe ad ſolum uſum neceſſitatis per votum S. Paupertatis aſtringit. Quidquid ultra neceſſitatem quærit, aut appetit, vanitati, & ſuperfluitati adjudicandum eſt. Quare enim Religioſus rebus temporalibus renunciat? Certe non ex odio rerum temporalium, quæ in ſe bonæ ſunt; ſed odio concupiſcentiæ ſine qua non poſſidentur. Hinc certum eſt, quod nihil tale aut concupiſcere, aut retinere valeat, quod affectionem, aut concupiſcentiam in ipſo excitare poſſit. Scrutare ergo, o Religioſe! cellam tuam. Quidquid cum affectu poſſides, ejice. Quidquid neceſſarium non habes, ejice. Quidquid vile non eſt, ſed pretioſum, ejice. Quidquid cum permiſſione Superioris non habes, ejice. Secus pauper non es. Voto non ſatisfacis.

PUNCTUM SECUNDUM.

N*Ec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiſerit.* Secundo igitur Religioſus nihil vanum, pretioſum, aut ſuperfluum habebit in veſtitu. Enimvero ſi veſtimenta molliora, aut pretioſiora, vel ad vanitatem compoſita geſtet, aut appetat, nonne cor gerit ſæculare, ac vanum? Nonne opere affectum ad temporalia omnibus probat? Nonne ſacræ Profeſſioni renunciat? Ordo

enim noſter abjectio eſt. Ordo noſter humilitas eſt. Ordo noſter voluntaria paupertas eſt. Diſquire ergo o Religioſe! veſtitum tuum. Si plura cæteris veſtimenta habes, abjice. Si pretioſiora veſtimenta habes, abjice. Si ad vanitatem compoſita veſtimenta habes, abjice. Si ad arcendum frigus, aut æſtum commodiora veſtimenta habes, abjice. Si aliquid in veſtitu habes, quod Abbas non dederit, aut permiſerit, abjice. Si contra, aut ſupra communem Monaſterii tui uſum quidquam habes, abjice. Nec nimiam infirmitatem, tenellam, & delicatam complexionem, converſationem cum viris potentibus prætendas. Status tuus, ſtatus pœnitentiæ eſt. Status mortificationis eſt. Non ſcandalizabis ſæculares paupertate. Sciunt, te illi adſtrictum eſſe. Scandalizabis autem plurimum, ſi contrarium egeris. Quem enim alium te judicabunt, quam transgreſſorem voti ſolemnis?

PUNCTUM TERTIUM.

N*Ec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiſerit.* Tertio igitur Religioſus nihil delicatum, aut ſuperfluum habebit in victu. Nam ſi Monachus non contentus ſit communibus cibis, quæ in conventu apponuntur. Si delicatiora ſibi procuret. Si ſuperflua appetat. Si extra communem menſam ſe generoſo potu ingurgitet, & bellariis ſe ſatiet. Quomodo pauper erit? Pauperes pane, & aqua victitant. Quomodo SS. Pa-

Patrem ſequetur? A Romano præter panem nullum alium accepit cibum. Quomodo Regulam ſervabit? Duo cocta pulmentaria pro univerſorum infirmitatibus præſcribit. Quomodo Profeſſioni ſatisfaciet? Ordo noſter, Ordo abſtinentiæ, & caſtigationis corporalis eſt. Si ergo o Religioſe! potum ſpecialem, aut delicatiora fercula procuraſti, pro futuro communibus utere. Si extra tempus quidquam ſumpſiſti, emenda te. Si quid ſine præſcitu, & licentia Superioris manducaſti, aut bibiſti; deinceps abſtine. Secus pauper non es. *Scius te damnandum ab eo, quem ſic irrides.*

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! paupertatem exerces in ſuppellectili cellæ tuæ? *Omni extremitate contentus ſit Monachus.* An paupertatem exerces in veſtitu? *Omni vilitate contentus ſit Monachus.* An paupertatem exerces in victu? *Omni extremitate, & vilitate contentus ſit Monachus.* Dole, quod votum paupertatis hucusque exercere neglexeris. Propone hodie abjicere omnem vanitatem, delicias, ſuperfluitatem

1. In ſuppellectili.
2. In veſtitu.
3. In victu.

DIES XXX.

De Solitudinis prærogativis.

Solus ſit ad opus injunctum, perſiſtens in pœnitentiæ luctu. Cap. 25. v. 3.

PUNCTUM PRIMUM.

SEmper SS Patribus, & maxime B. Patri noſtro ſolitudo pars pœnitentiæ, ſeu ſatisfactionis fuit. Unde ipſemet tamdiu ſolitudinem Sublacenſem incoluit. Unde & in Regula gravioris culpæ noxa inquinatum ad ſolitudinem condemnat. *Solus ſit ad opus ſibi injunctum, perſiſtens in pœnitentiæ luctu.* Prima ergo ſolitudinis prærogativa eſt, quod ad pœnitentiam diſponat, & ſatisfaciat pro peccatis. *Perſiſtens in pœnitentiæ luctu.* In ſolitudine enim agnoſcimus peccata, quæ foris ſub tumultu paſſionum agnoſcere non potuimus. In ſolitudine grandia nobis apparent peccata, quæ foris ſub libertate, ſenſuum parva eſſe duximus. In ſolitudine innumera ſe produnt peccata, quæ geſſimus, & foris nulla eſſe reputavimus. Hinc ſpiritu compunctionis repleti diu, noctuque peccata noſtra, quæ foris extra cellam perpetravimus, deflemus. Inſatiabili deſiderio Deo pro tot peccatis ſatisfaciendi accendimur. Nullius alterius, quod foris audivimus, recordatio nobis remanet, quam peccatorum noſtrorum, ut eadem inſtar turturis in ſolitudine gementes lachry-

chrymis, & suspiriis nostris abluamus. O quam in periculoso statu versantur illi Religiosi, qui sine scrupulo mundi conversationem ambiunt. Ejus actibus se immiscent. Ejus moribus se conformant. Non agnoscunt peccata sua. Non deplorant. In peccatis suis moriuntur. Cum hoc mundo damnantur!

PUNCTUM SECUNDUM.

ALtera prærogativa solitudinis est, quod simplicitatem cogitationum, & affectionum causet. Unde SS. P. ait: *Solus sit*. In solitudine enim Monachus separatur a mundo, ejusque actibus, ut nulla cogitatio de ipsis incidere possit. Aures, oculi, lingua ejus nihil percipit novitatis, aut delectationis eorum. Intellectus tantum occupatur in agnitione, & voluntas in amore Dei. Hinc passiones cordis quoque supprimuntur, ut in tali anima solitaria præter pacem, gratiam, & dulcedinem S. Spiritus aliud nihil reperias. O quam excæcati sunt illi Religiosi, qui etiam intra Monasterium solitudinem fugiunt. Qui cum in solitudine gemere deberent, omnes suas cogitationes, & affectiones ad recreationes, risus, sensualitates effundunt. Qui dum in solitudine perpetuæ abnegationi vacare deberent, terrena bona, terrenos honores quærunt. Qui dum in solitudine unum negotium animæ suæ agere deberent, inutilibus laboribus se occupant. Qui dum silentio vacare deberent, sponte sua ad inutiles discursus defluunt.

fluunt. Qui dum in ſolitudine ſua omnibus hominibus bonum exemplum præbere, jugiter mediatores inter Deum, & peccatores exiſtere, ac in cœlis habitare deberent, omnibus ſcandalo ſunt, ſuis peccatis magis, quam ipſimet ſæculares Deum ad iram provocant, ſuam vocationem relinquunt, & ſpiritum mundi in ſua Monaſteria inducunt!

PUNCTUM TERTIUM.

TErtia prærogativa ſolitudinis eſt, quod vocationis implendæ medium ſit ferme unicum. *Solus ſit ad opus injunctum.* Et ad quodnam *opus injunctum?* Utique quod maxime, & ante omnia opera injunctum eſt, nempe ad ſatisfaciendum vocationi ſuæ. Regula etenim noſtra multis, imo plurimis abundat præceptis, quæ ſine ſolitudine impleri nequeunt. Quomodo enim *ſe a ſæculi actibus faciet alienum*, qui ſe quotidie ſæculi actibus inquinat? Quomodo *mortem quotidie ante oculos ſuſpectam habebit*, qui totus ad terrena ſolatia, & externas occupationes effuſus eſt? Quomodo *actus ſuæ vitæ omni hora cuſtodiet*, qui raro, imo vix veſpere, & mane propter amorem mundi per diem ſe recolligit. Quomodo *in cogitationibus ſuis, & in omni loco Deum ſe pro certo reſpicere ſciet*, qui cum ſæcularibus, aut etiam Confratribus diu, noctuque confabulatur? Quomodo *frequenter orationi incumbet, aut Lectiones ſanctas libenter audiet*, qui propter effuſionem cordis ad

ſenſua-

ſenſualitates S. Exercitia aut penitus abhorret, aut non niſi cum tædio, & acedia peragit. Quomodo *timorem Dei jugiter ſibi ante oculos ponet, aut ſe omni hora Divino judicio repræſentandum credet*, qui cogitationibus, & affectionibus terrenis plenus vivit ſine timore, ſine metu, hinc inde S. Regulam transgreditur? Reliqua multa, & magna imo maxima SS. Regulæ præcepta omitto, quæ ſine ſolitu dine impleri nequeunt. O obduratum cor illorum Religioſorum, qui aliud, quam ſuum negotium agere volunt. Qui contenti ſunt, ſi externa & quotidiana exercitia diſtracte, & tepide obeant. Manet, ah! manet ſua veritas S. Bernardi effato. Omnia S. Benedicti inſtituta exceptis nonnullis non profitentibus monita ſunt, profitentibus in præcepta, prævaricantibus in crimina fiunt. Interna magis, quam externa ſervanda ſunt. Et quomodo ſine ſolitudine ſervabis? In teſtem voca cor tuum.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! uteris ſolitudine ad compunctionem cordis obtinendam? Monachi officium eſt plangere. An ſolitudine uteris ad obtinendam ſimplicitatem affectionum tuarum? Sine hac nunquam ſequeris Chriſtum. An ſolitudine uteris ad ſatisfaciendum vocationi tuæ? Absque ſolitudine nunquam obtinebis perfectionem vocationis tuæ. Dole, quod prærogativis ſolitudinis juxta Profeſſio-

nem

nem Regulæ tuæ hucusque usus non fueris. Propone

1. Solitudine uti ad compunctionem,
2. Ad simplicitatem affectionum tuarum,
3. Ad obtinendam perfectionem tuam.

DIES XXXI.

Recollectio Menstrua.

Ita ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est, ut non, ut iratus Pater, aliquando Filios suos exhæredet. Prolog. §. 1. v. 4.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctissimus Pater Noster relictis omnibus, secessit in solitudinem Sublacensem, ut uni Patri cœlesti omni tempore de bonis suis pareret. Hoc ipsum nobis persuadet, dum ait: *Ita ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est, ut non, ut iratus Pater aliquando Filios suos exhæredet.* Meretur enim exhæreditari, qui Patris bona dissipat. An non & tu dissipasti gratias amoris, & servitii Divini? An amorem erga Deum exerces per relictionem creaturarum, & observantiam S. Regulæ? Si charitatem non habes, nihil es. An Deum plus corde, quam ore precaris? Sine intermissione orat, qui crebro, & fervide cor ad Deum elevat. An Deum jugi pœnitentia placare satagis? Si modo non luges; lugebis

bis in æternum. Dole, quod gratiis, quas tibi Deus ad servitium suum impendit, abusus fueris. Propone, saltem modo iis uti. O quanta jactura est, gratia Dei spoliari!

PUNCTUM SECUNDUM.

AN gratias dissipasti, quas Deus tibi contulit ad satisfaciendum Religioni tuæ? An per observantiam Regulæ SS. Patri tuo assimilari studes? Non aliter scripsit, quam vixit. An amore castitatis perfectæ cor mundas ab omni nævo imperfectionis? Omni custodia custodi cor tuum. An stabilitatem servas, ut opera vocationis tuæ impleas? Mane in vocatione tua, non expedit tibi vagari foras. An paupertatem exerces in suppellectili, vestitu, & victu? Sine exercitio paupertatis, pauper nunquam eris. An omnibus abrenuncias, ut finem, & scopum S. Regulæ obtineas? Nisi quis renunciaverit omnibus, non potest meus esse Discipulus. An propter confessionem Domini, mortificationem corporis, compunctionem animi libenter vigilas? Media nocte surgebam ad confitendum tibi. An libenter laboras? Otium est pulvinar Diaboli. An solitudini vacas pro obtinenda vocatione tua? Solitudo Monachum facit. An silentio incumbis ad abnegationem passionum tuarum? In multiloquio non effugies peccatum. An propter humilitatis, patientiæ, & obedientiæ exercitium gratanter subis pœnitentias regulares. An officium servitoris magna charitate ad ex-

emplum

emplum JEſu peragis; Quo major charitas, eo major merces erit. An abjectis ſcientiis infructuoſis ad ſcientiam Sanctorum duntaxat incumbis? Scientia vana, & ſæcularis inflat. Dole, quod gratiis ad ſtatum tuum implendum abuſus fueris. Propone iis uti, *ne ut iratus Pater, aliquando te exhæredet.* O quanta jactura eſt filiatione Dei ſpoliari!

PUNCTUM TERTIUM.

AN gratias ad converſationem charitatis fraternæ conceſſas diſſipaſti? An officia charitatis exerces? Charitas otioſa non eſt. An malum pro malo non reddis? Charitatem amittis. An non doloſus es? Fraudulentus concinnat dolos ad perdendos mites in ſermone mendacii. An nulli injuriam facis? Injuriator ſeipſum vulnerat. Dole, quod gratiis ad conſervationem charitatis fraternæ abuſus fueris. Propone iis uti, *ne, ut iratus Pater, aliquando te Deus exhæredet.* O quanta jactura eſt gloria cœleſti privari.

PUNCTUM QUARTUM.

AN gratias tibi conceſſas diſſipaſti? An non primum fervorem, deſeruiſti? habeo aliquid adverſum te; quia primam charitatem reliquiſti. An perſecutiones pro juſtitia libenter, gaudenter, & conſtanter ſuſtines? Abominantur impii eos, qui in recta ſunt via. An curam animæ tuæ ſolum curas? Quid proderit tibi, ſi mundum univerſum lucreris, ani-

mæ vero tuæ detrimentum patiaris. An ſæpe ingrederis ſepulchrum tuum, ut viſibilia contemnas, patiens ſis in infirmitatibus, & charitatis ſtudioſus? Ita ſepulchrum tuum erit glorioſum. Dole, quod gratiis tibi conceſſis abuſus fueris. Propone deinceps iis uti, *ne Deus, ut iratus Pater, aliquando te exhæredet.* O quanta jactura eſt ipſum Deum amittere!

AUGUSTUS.

DIES I.

Cur Judicium Divinum ſemper cogitandum ſit.

Reum ſe omni hora de peccatis ſuis exiſtimans, jam ſe tremendo judicio Dei repræſentari æſtimet. Cap. 7. Gr. 12. v. 82. & 83.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctiſſimus Pater N. ſtatuit, ut Religioſus *reum ſe omni hora de peccatis ſuis exiſtimans jam ſe tremendo judicio Dei repræſentare æſtimet.* Cur? Ad removendam obdurationem, & inſenſibilitatem. Nam qui omni momento incertus eſt, qua hora Dominus ad judicandum venerit, quomodo cor ejus timore non tangatur? Qui omni hora expectat judicium, in quo illi æternum felix, aut infelix æternitas decernetur, quomodo cor il-

lius

lius de peccatis præteritis non compungatur, & tepida voluntas ad fervorem, & emendationem non accendatur? Qui incessanter cogitat illud S. Pauli; omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum, quomodo in securitate, & libertate vitæ vivet? Quomodo non per mortificationes continuas satisfaciet? Quomodo non omnes motus internos ita componet, ut mox possit de quocunque rationem reddere? Quomodo non sensus omnes mortificabit? Quomodo non omnibus, sibique ipsi morietur? Quomodo non omnes Regulæ observantias exactissime præstabit? O qui ita viva fide judicium Divinum intueretur non de longinquo; sed ut in proximo est; anne ita insensibiliter, obdurate in sua vocatione vivere posset?

PUNCTUM SECUNDUM.

SAnctissimus Pater N. præcipit, ut Religiosus *reum se omni hora de peccatis suis existimans, jam se tremendo judicio Dei repræsentari æstimet.* Quare? Ad acquirendum spiritum compunctionis. Et quis non compungatur? Sancti compunguntur. S. Gregorius Nazianzenus nec diu, nec noctu quietem a timore judicii habebat. S. Ephrem nullum ad obtinendam compunctionem efficacius remedium esse asserebat, quam meditationem judicii. S. Ammonis constans doctrina, & vita erat, quod Monachus similis reo esse debeat, qui

qui continuo flet, & interrogat: ubi Judex? Quando veniet? Quam merito ergo Religiosi jugiter cogitabunt judicium, quorum officium juxta omnes Patres est, & sua, & aliena peccata sine intermissione plangere? Quam merito plangent, quando ex testimonio SS. PP. constat, primum, imo unicam esse ruinam, & perditionem Monachi dissolutionem, & oblivionem Divini judicii? Quam merito incessanter flebunt, cum sine lachrymis vocationi suæ nunquam satisfacient? O Deus meus! quis dabit mihi lachrymas, ut præveniam diem lachrymarum, quando ad judicandum veneris?

PUNCTUM TERTIUM.

SAnctissimas P. N. jubet, ut Religiosus *reum se omni hora de peccatis suis existimans, jam se tremendo judicio Dei repræsentari æstimet.* Qua de causa? Ut perfectionem Religiosam assequatur. Hæc enim cogitatio Divini judicii necessaria est peccatoribus, ut convertantur, Nihil namque sic peccatorem a peccatis absterret, quam timor judicii. Nihil sic sperare in Dei misericordia cogit, ut terror judicis. Hæc cogitatio necessaria est proficientibus. Sicut enim peccatori gratiam obtinuit, ita illum confirmat, ne amittat. Facit cautum in cogitatione, in verbo, & opere, ut vivat in omnibus juxta Regulam. Aufert tædiosam vitam, contemptum divinarum scilicet inspirationum. Aufert distractiones in oratione, acediam, & teporem in Divino servitio. Aufert murmur erga Superiores, impatientiam erga Confratres.

Aufert ſenſualitatem in cibo, potu, ſomno, amictu &c., & effuſionem cordis ad externa ſolatia. Domat paſſiones. Generat tædium omnium terrenorum. Sibi ſoli, & non aliis facit attendere. Virtutes omnes implantat cum ineffabili dulcedine Spiritus S. Hæc cogitatio neceſſaria eſt perfectis. Quamdiu enim ſumus in hac vita, ſine tentatione eſſe non poſſumus. Timor judicii omnes tentationes elidit. Quamdiu vivimus, in periculo ſumus amittendi gratiam. Nihil autem efficacius eſt ad retinendam gratiam, quam ſemper præſentiam Divini judicis timere. Manifeſta enim fraus Diaboli eſt, ſi quis ita perfectum ſe reputet, ut timore amplius non indigere videatur. Si enim occultiſſimum judicium timent magni, ut David, Hilarion, Arſenius; quantum nos ad illius examinis memoriam convenit trepidare?

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! cogitaſti ſemper judicium ad removendam obdurationem? Hodie igitur ſi vocem judicis audis, noli amplius obdurare cor tuum. An cogitaſti ſemper judicium ad acquirendam, aut retinendam compunctionem cordis? Monachus non es, ſi non ſemper plangis. An cogitaſti ſemper judicium ad obtinendam perfectionem? Timor locum præparat charitati. Dole, quod meditationem Divini judicii abjeceris. Propone ſemper illud cogitare

1. Ad removendam obdurationem.
2. Ad obtinrndam compunctionem.
3. Ad acquirendam perfectionem.

DIES II.

De Patientia in infirmitatibus.

Infirmi superfluitate sua non contristent Fratres suos servientes sibi. Cap. 36. v. 6.

PUNCTUM PRIMUM.

DUm SS. P. N. infirmis praescribit: *Ne superfluitate sua contristent Fratres suos servientes sibi*, patientiam ipsis summopere recommendat. Patientiam istam exhibet Religiosus, si cum jugi gratiarum actione dolores supportet. Et quare non hoc modo patiens sit? Nullus dolor sive corporis sive animi nobis accidit, nisi ex Divinae providentiae dispositione. Quidquid autem ex hac provenit, summe nobis utile, imo necessarium est. Quidquid ex hac nobis provenit, summe meritorium est. Licet enim jejuniis, vigiliis, laboribus, orationibus multum mereamur; plus tamen patientia meremur in infirmitatibus. Patere ergo cum humilitate. Etenim si Deo placuerit, te eripiet brevi tempore. Si illi non placuerit, cum S. Job lauda Nomen ejus benedictum in saecula. Semper autem gratus esto; quia secundum multitudinem

dolorum tuorum conſolationes aut hic, aut in futuro lætificabunt animam tuam.

PUNCTUM SECUNDUM.

INfirmi ſuperfluitate ſua non contriſtent Fratres ſuos ſervientes ſibi. His commendat nobis patientiam in defectu medicinæ & victus. Secutus eſt S. Baſilium, qui ait: uſus medicinæ licitus eſt; quia virtutem ſanandi Deus ipſi contulit. At Chriſtianos dedecent ea medicamina, quæ non niſi magno labore, aut ſumptu præparantur. Non convenit ipſis, ut vitam ſuam in delicata cura corporis traducant. Quid ad iſta objicis, qui ſpeciales & delicatos cibos exquiris, vitæ vero puritatem negligis! Hypocrates docet, quomodo vitam longo tempore traducas; ſed Chriſtus docet, qualiter animam tuam perdas. Cujus Diſcipulus eris? Quid te juvabit, ſæculi voluptatibus renunciaſſe; ſi quotidianam mutationem naturæ, & ciborum qualitatem, atque effectus tam accurate diſcutis? Cogita te pauperem Religioſum, non medicum eſſe. Non judicaberis de diſpoſitione naturæ tuæ, ſed de obſervantia Regulæ tuæ. Contentus igitur eſto medicinis, & victu communi. Spem tuam potius Deo committe in omnibus; ſine cujus auxilio nulla medicina, nullus medicus tibi proderit ad ſanitatem. Spem tuam Deo committe, qui te ſine omni medicina curare poteſt.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

I*Nfirmi ſuperfluitate ſua non contriſtent Fratres ſuos ſervientes ſibi.* His SS. Pater infirmos monet, ne a communis Regulæ obſervantia diſcedant, ſed patienter ferant jugum Regulæ. Nunquam enim natura ad relaxationem ejus promptior eſt, quam in infirmitate. Sed nunquid perdet Religioſus brevi tempore, quod multis annis collegit? Nunquid ſe effundet ad omnia ſolatia externa? Nunquid Religioſæ mortificationis penitus obliviſcetur? Nunquid ſpiritum compunctionis abjiciet? Nunquid ab exercitio virtutum in S. Regula præſcripto ceſſabit? Nunquid omnem orationem ceu noxiam fugiet? Religioſus non ſolum vivere, ſed & mori ſecundum Regulam promiſit. Non ſolvitur infirmitate Profeſſio, uſque ad mortem obligat. O ſi Religioſus ſincere cognoſceret multitudinem, & magnitudinem peccatorum ſuorum, nihil omitteret de Regulari obſervantia. Semper tantum ageret pro ſatisfactione peccatorum ſuorum, quantum poſſet, & Superiores permitterent. Eo enim ferventior currere debet in via mandatorum Dei, quo propior accedit ad terminum.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! patiens es in infirmitate gratias agendo? Gratiarum actio animam, & corpus lætificat. An patiens es in defectu medicinæ, & victus? JEſus propo-

ſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. An patiens es ſervando Regulam, quantum potes, & licet? Scias te ſub lege Regulæ conſtitutum, nec tibi licere collum excutere de ſubjugo Regulæ. Dole, quod tam impatiens fueris in infirmitatibus. Propone patientiam amplecti

1. Pro doloribus Deo gratias agendo.
2. Communi victu, & medicina te contentando.
3. S. Regulam pro poſſibili, & licentia Superiorum obſervando.

DIES III.

De vitandis transgreſſionibus minimarum Regularum.

In omnibus omnes magiſtram ſequantur Regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam. Cap. 3. v. 6.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctiſſimus Pater prævidens plurimos Religioſos futuros eſſe, qui ſine timore Regulas minoris momenti transgrederentur, hoc expreſſo mandato eorum temeritatem repreſſit: *In omnibus omnes magiſtram ſequantur Regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam.* Et merito. Nam primo talis Religioſus continuo Divinæ voluntati repugnat. Deus illum ad perfectionem vitæ monaſticæ voca-

vocavit. Ipsius sanctissima Voluntas est, ut incessabili conatu ad illam tendat. Imo Religiosus ipse voto solemni ad eandem se obstrinxit. Nunc autem Divinæ vocanti, & præcipienti voluntati contrariam semper habet voluntatem. Et quod caput est. Votum suum summa cum infidelitate violat. Væ generationi huic miseræ ab imperfectione sua, cui sufficere videtur insufficientia, imo inopia tanta! quis enim ad eam perfectionem, quam Scripturæ, & Regulæ tradunt, aspirare videtur? Quis vocationi suæ satisfacere nititur? Quis voluntati Dei obedire conatur? Nonne Petro sancte, & humiliter, uti videtur ad lotionem pedum reluctanti, propter hanc minimam inobedientiam dictum est. Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum in æternum?

PUNCTUM SECUNDUM.

OMnes in omnibus magistram sequantur Regulam, neque temere ab ea declinetur a quoquam. Et juste. Minimæ transgressiones disponunt ad majores; majores vero ad maximas. Imber guttatim cadit. At sæpe cadendo arbores, ac domos devastat. Et venialia multiplicata mergunt in profundum malitiæ. Qui enim non curat minora vitare peccata, in grandem incidit tepiditatem, ut exinde parvi pendat, majora perpetrare flagitia. Qui non curat minora perpetrare peccata, paulatim totus ab amore evacuatur. Qui non curat minora præcepta S. Regulæ transgredi, inadver-

tenter ad tantam assurgit temeritatem, ut etiam maxima violare non erubescat. Timor quippe, & verecundia Deum offendendi peccando tamdiu minuitur, donec successive omnis evanescat. Hinc dantur Religiosi, qui distractiones in Psalmodia parvi faciunt. Dantur, qui de oblivione præsentiæ Divinæ non contristantur. Dantur, qui ob amorem terrenarum rerum non dolent. Sed pro dolor! quo deveniunt? Deflendam incidunt accediam. Amissa vero consolatione Divini amoris, & perdito timore Domini, nulla est Regula, quam transgredi non ausint. Nullum votum, quod violare non præsumant.

PUNCTUM TERTIUM.

O*Mnes in omnibus magistram sequantur Regulam, neque temere ab ea declinetur a quoquam.* Et recte. Quævis Regularis transgressio, maximam pœnam in purgatorio meretur. Iniquitas namque omnis, parva, magnave sit, puniatur, necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo vindicante. Quod si Divinæ Nemesi punienda relinquatur, centupliciter, quæ hic neglecta fuerit, reddetur usque ad novissimum quadrantem. Qui enim venialiter peccaverit, salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Veritas ista de fide est. Et quid de futuris pœnis dico? Nonne Moyses vix non ab Angelo interfectus est, quia Filium suum circumcidere distulit? Nonne, quia David numerare populum suum præcepit, septua-

tuaginta millia Israëlitarum moriebantur? Nonne S. Abbas Moyses, quia S. Macario parum contradicere ausus, a Dæmone obsessus fuerat? Ex magnitudine pœnæ saltem disce timere, ne vel in minimo S. Regulam transgrediaris.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! times minimam Regulam transgredi, quia voluntati De repugnas? Voluntas Dei sanctificatio tua est. An times minimam Regulam transgredi, quia ad votorum violationem disponit? Qui spernit modica, paulatim decidet. An times minimam Regulam transgredi; quia summopere castigaberis à Deo hic, & in futuro? Ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Dole, quod hucusque Regulam in minimis violare non erubueris. Propone

1. Timere, Regulam in minimis transgredi, quia repugnat Divinæ voluntati;
2. Quia disponit ad violationem votorum,
3. Quia acerrime a Deo punitur hic, & in altera vita.

DIES IV.

De perfectione Obedientiæ.

Pro Dei amore omni obedientia se subdat majori imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: Factus est obediens usque ad mortem. Cap. 7. Gr. 3. v. 34. & 35.

PUNCTUM PRIMUM.

PErfecta obedientia eſt, ut ſimpliciter in omnibus quis obediat, quæ non ſunt contra Regulam, aut contra Deum. Hinc SS. Pater ſuo Religioſo injungit: *Pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat majori, imitans Dominum, de quo dicit Apoſtolus: Factus eſt obediens uſque ad mortem. Omni*, ait, *obedientia ſe ſubdat majori.* Ad quod non ſufficit, ut ad imperium Superioris nihil mali agas, ſed etiam ut nihil boni, quantumvis ſanctum ſit, ſine ejus præſcitu, & conſenſu facias. Nihil enim bonum eſſe poteſt, quod ab obedientia non provenit. Nam qui poteſtati reſiſtit, Deo reſiſtit. *Omni obedientia ſe ſubdat majori* non ſolum in internis, ſed etiam in externis, ut nullum amplius motum niſi ab obedientia habeat. Non enim eſt Monaſterium, non Religioſi, non Monachi, ubi ſubditis obedientia erga Prælatum deeſt. *Omni obedientia ſe ſubdat majori*, ut etiam impoſſibilia peragere, & in iis obedire contendat. Ita ſtatuit SS. Pater: *Si cui Fratri aliqua forte gravia, & impoſſibilia injunguntur, ſuſcipiat cum omni manſuetudine, & obedientia jubentis imperium.* Cogitet illud Apoſtoli, non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam. Et nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſtis. *Omni obedientia ſe ſubdat majori*, ut nec de uno momento vitæ ſuæ diſponat, ſed uſque in, & ad mortem obediat. Sic ſolum re-

vera

vera *imitatur Dominum*, *de quo dicit Apostolus*: *Factus est obediens usque ad mortem.* O me infelicem! quod hisce temporibus vivo, ubi nulla ferme religio, quia nulla fere obedientia est. O me miserum! qui hucusque juxta principia moderni sæculi obligationem obediendi ad gravitatem materiæ, ad præceptum Superioris in virtute S. Obedientiæ duntaxat dimetiebar; cum tamen juxta omnes sanctos Patres in omnibus, excepto uno solo manifesto peccato, usque ad ipsam mortem obedire tenear.

PUNCTUM SECUNDUM.

O*Mni obedientia se subdat majori*, ut nunquam imperium discutiat, sed totaliter *alieno imperio*, & *arbitrio ambulet*. Nam discussio imperii provenit ab intolerabili superbia, magna sui æstimatione, fide mortua, & spe infirma. *Omni obedientia se subdat majori*, ut nullum amplius habeat velle, aut nolle, sed sicut instrumentum ab artifice, ita ipse a Superiore omnem motum accipiat. Ex quo enim Monasterium ingressus est, omne jus volendi, & nolendi Christo in Superiore tradidit, ut sine sacrilegio illud in minimo violare non ausit. *Omni obedientia se subdat majori*, ut simpliciter ad instar parvuli, sine contradictione instar mortui, cum abnegatione judicii, & voluntatis propriæ, cum tolerantia omnis difficultatis, repugnantiæ naturalis, usque ad sanguinem, usque ad mortem obediat. Vere

siqui-

ſiquidem obediens nihil novit difficile, nihil injuſtum. *Omni obedientia ſe ſubdat majori,* ut animo reſignato, indifferenti, ac parato ad omnia, & animo hilari, cum omni velocitate obediat. O ſancta Obedientia! tu mors es naturæ; & ego hucusque judicio, voluntati, paſſionibus meis mori nolui. O S. Obedientia! tu vita gratiæ es, & ego juxta tuum inſtinctum vivere nolui. O S. Obedientia! tu gloria Religionis es! & ego te contempſi. O S. Obedientia! tu liberas a Divino judicio, & ego libentius per inobedientiam huic, quam tibi me ſubdere volui.

PUNCTUM TERTIUM.

O*Mni obedientia ſe ſubdat majori tanquam Deo.* Hinc oritur meritum. Sine hoc obedientia Religioſa mera politia eſt. Hinc oritur plena fides & devotio in obedientia, confidentia erga Superiorem quo ad internum, & externum ſtatum, maxima reverentia, & amor. Sine hoc ſtatim prætenditur impoſſibilitas imperii, omittitur debita confidentia, Superior contemnitur, ejus imperia diſcutiuntur, detractantur, amor omnis in eum languet. Hinc perfecta obedientia in omnibus uſque ad mortem oritur. Qui enim Deum in Superiore aſpicit, omnia credit juſta, omnia agit. Confidit namque in Deo, qui præcipit, & omnia poteſt. Non includit intra limites profeſſionis obedientiam, ſed eam ſupergreditur. Amor præcipientis Dei omnia levia illi

facit,

facit, & accepta. Et hæc mens eſt SS. Patris. *Quod ſi poſt ſuggeſtionem ſuam in ſua ſententia Prioris imperium perduraverit, ſciat junior ita ſibi expedire, & ex charitate confidens de adjutorio Dei obediat.* Sine hoc omnis obedientia vilis eſt, & imperfecta. Hinc oritur, ut nemo non ſibi Abbatem præeſſe deſideret. Sine hoc obedientiæ jugum nemo non ceu intolerabile excutere nititur. O SS. Pater! quamdiu adhuc patieris hanc unam, & unicam Religionis tuæ virtutem ab Ordine tuo exulare. Ecce! modo Superiores quaſi per præſcriptionem non amplius audent præcipere niſi ea, quæ ſubdito grata eſſe vel præſciunt, vel prius interrogarunt, an grata ſint. Sic jacet Religioſa obedientia, ſine qua perfectio Religioſa obtineri non poteſt. Eja! Pater ſancte! excita Spiritum tuum! mitte nobis tales Superiores, qui ſciant ſuos in Spiritu ſanæ Obedientiæ dirigere ad vitam æternam. Amen.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! hucusque in omnibus etiam impoſſibilibus obediſti? Vir obediens loquetur victorias. An penitus judicium, & voluntatem tuam deſeruiſti? Sunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis deducit ad interitum. An Superiori tanquam Deo obediſti? Qui vos audit, me audit. Dole, quod ad perfectionem S. Obedientiæ non debitam diligentiam adhibueris. Propone

1. In omnibus quoad internum, & externum statum tuum obedire.

2. Judicium, & voluntatem tuam penitus deserere.

3. Superiori tanquam Deo ipsi obtemperare.

DIES V.

De vitanda Somnolentia.

Non somnolentum. Cap. 4. Instr. 37.

PUNCTUM PRIMUM.

QUam SS. P. N. a Somnolentia alienus fuerit, constat, quod totas noctes precibus, aut colloquiis sacris traduxerit. Unde & suis Discipulis præcipit, *non esse somnolentum*. Ad quod præceptum implendum tria requiruntur. Primum est, ne diutius, quam necessarium, & præscriptum est, quis dormiat. Quot enim non ex mero otio, aut pigritia per totum ferme meridiem somno indulgent? Quot non ante præstitutam horam somnum capiunt? Quot non subinde ultra horas assignatas stertunt in lecto? Quot non, cum excitantur, adhuc hinc inde se volutant, & præ gravedine somni vix e lecto se proripere queunt? O ridiculum plane rigorem Monachicum dulce, longiori somno, temperare otium! stertere, dum tot Fratrum millia in labore sudant! somniare, dum alii laborant

orare! blandiri corpori, quod alii in tantum mortificant. Eheu! indigna permutatio, ſolatium tantillum Dei permutare colloquio, & tot millum Fratrum conſortio! O quæ tam gravis cauſa Monachum teneat, & quam invitum in lectulo, qui penſat, quanto quieſcat, & quam utili a negotio! vix credibile, quod in cæteris dure ſe habeat, qui corpuſculum ſuum tam molliter collocat, e molli ſtrato tam ægre librat.

PUNCTUM SECUNDUM.

ALterum, *ne ſomnolentus ſis*, requiritur; ut *ſubtrahas corpori tuo de ſomno.* Quod fit, ſi *facto ſigno absque mora ſurgens feſtines alios prævenire ad opus Dei.* Si nunquam vel ad matutinum, aut ad primas edormias. Sane amor Dei, devotio in ſervitio Divino, fervor diſciplinæ nec ad momentum ultra tempus obedientiæ in lecto manere permittent. Gaudebis, ſi dormire per noctem non poſſis, vel ſurgere rurſum valeas. Dormiens etenim homo nullius eſt pretii, aut certe non majoris, quam qui non vivit. Nimium infra dignitatem ſuam ſe abjicit homo, qui ad inſtar pecoris tempus ſomno terit. Suſpecta ſemper res eſt ſomnus, & magna ex parte ebrietati ſimilis. Rationem tollit. Senſus ligat. Hominem Somnolentiæ deditum pigrum, acedioſum reddit, atque otioſum. Pro! quam multi virtutum actus per ſomnum perduntur! quam ineffabilis merces, & gloria in cœlis amittitur! cogita

ta illud Theodori Abbatis, quo Joannem Caſſianum a Somnolentia dehortatus eſt. Quam multi o Joannes in hac hora Deum in præcordiis ſuis tenent, ac contemplantur, & tu lumine tanto privaris inerti reſolutus ſopore? Cogita illud Scripturæ: qui mane vigilaverint ad me, invenient me; & *cum gaudio S. Spiritus ſubtrahes corpori tuo de ſomno, ac offeres Deo.*

PUNCTUM TERTIUM.

TErtium, *ne ſomnolentus ſis*, requiritur, ut cum omni modeſtia conceſſum, & neceſſarium ſomnum capias. Hinc SS. Pater præſcribit: *Veſtiti dormiant, & cincti cingulis, aut funibus.* Licet enim dormientibus non imputandum videatur, quod neſcii faciunt, vel patiuntur, tamen indecens eſt homini Religioſo, ſi vel incompoſitus jaceat, aut poteſtatem habeat manus huc illuc in nudo corpore circumducendi. Et cum Monachi officium ſit ſemper orare, ſemper debet *paratus eſſe ad ſurgendum pro oratione cum omni modeſtia & gravitate.* O quanto cum timore SS. Patres ſomnum capiebant, ne forte ab inimico *per ſomnium vulnerentur* in puritate! & tu per immodeſtiam jacendi inimico poteſtatem facias pro libitu ſuo corpori tuo illudendi? O quanta cum devotione ſomnum capiebant, ut etiam dormientes Pſalmos ſomniarent! & tu vanis, otioſis cogitationibus inimico ad ſomnia impura præludas. O quanto fervore evigi-

lantes

lantes ſemper mentem ad Deum levabant! & tu iisdem vanis, & otioſis, aut etiam impuris, quos ſomniaſti, affectibus jugiter expergiſcaris. Certe vel ſomnus miſerum inveteratæ tepiditatis tuæ ſtatum tibi aperit.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! ad vitandam ſomnolentiam ſomno conceſſo tantum uteris? Ne patiare totius diei, aut vitæ medium nullo tuo fructu tibi præripi. S. Baſil. An ad vitandam ſomnolentiam de ſomno corpori tuo ſubtrahis? Sufficit Monacho unum dormire horam, ſi tamen pugnator eſt. S. Arſen. An ad vitandam ſomnolentiam modeſte ſomnum neceſſarium capis? Quotiescunque evigilaveris, ſtatim occurrat tibi memoriam Dei cum gratiarum actione; quia ipſe vigilat ſuper nos, ut cuſtodiat nos. S. Bern. Dole de tua Somnolentia. Propone

1. Somno conceſſo tantum uti,
2. De ſomno tibi ſubtrahere,
3. Semper neceſſarium ſomnum cum modeſtia capere.

DIES VI.

De Reconciliatione diſcordantium.

Çum diſcordantibus ante ſolis occaſum in pacem redire. Cap. 4. Inſtr. 71.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctiſſimus Pater hujus Inſtrumenti *cum diſcordantibus ante ſolis occaſum in pacem redire.* Fuit obſervantiſſimus. Vix nefarii illi Monachi venenum ei obtulerant, ſtatim, prior, & toto affectu veniam ipſis indulſit. Miſereatur veſtri Fratres omnipotens Deus. Statim *in pacem cum diſcordantibus redeundum eſt:* quia diſcordia cum tempore creſcit; & quia Deus tamdiu nullum opus bonum a nobis acceptat, quamdiu in diſcordia vivimus. Si diſcordia etiam levis in corde foveatur, neceſſe eſt, ut in apertas inimicitias, & odia prorumpat. Dum namque ſub cinere occultæ averſionis gliſcit, ad turbinem verbi injurioſi inextinguibile incendium cauſat. Plerumque etenim diſcordia per ſilentium clauſa, intra mentem vehementius æſtuat, & clamoſas tacita voces format. Verba ſibi, quibus exaſperetur, objicit; & quaſi in cauſæ examine poſita durius exaſperata reſpondet. Sicque fit, ut perturbatus animus majorem ſtrepitum ſui ſilentii ſentiat, eumque gravius cauſa diſcordiæ flamma conſumat, donec ſe maximo impetu foras proripiat, & fere ſine fine inter contentiones flagret. Et quodnam bonum opus tunc Deo placebit, qui præcipit: Si recordaris, quod Frater tuus habet aliquid adverſum te; relinque munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari ei? Cum igitur Frater tuus aut tu habetis diſcordias, ſtatim reconciliamini. Sol non occidat ſuper iracun-

diam veſtram, ne in vanum opera Religionis peragatis, & diſcordia in immenſum creſcat.

PUNCTUM SECUNDUM.

QUatenus *cum diſcordante ante ſolis occaſum in pacem redeas;* oportebit, ſæpius, ut prior, & innocens a diſcordante veniam petas. Prior cum illo loquaris. Prior ſatisfactionem præſtes. Prior obſequia fraterna offeras. Sæpe namque, imo plerumque, qui diſcordiæ Author eſt, acriori ira perturbatur. Et hoc cur non agas? Animam Fratris ſalvas. Tuam redimis ab ingenti odii, atque vindictæ periculo. Nam etſi modo pacem habere videaris, dum alter in pacem redire recuſat, tu quoque pacem amittes. Facile vero diſcordantem tibi reconciliabis, ſi cum alienos exceſſus aſpicis, tua, quibus in aliis exceſſiſti, delicta cogitas. Conſiderata quippe infirmitas propria, mala tibi excuſabit aliena. Libenter namque diſcordiam Fratris tollit, qui meminit, quod fortaſſe & ipſe habeat, in quo debeat reconciliari. Et quaſi aqua ignis extinguitur, cum ſurgente furore animi, ſua cuique ad mentem culpa revocatur; quia erubeſcit peccata non parcere, qui vel Deo vel proximo ſe recolit parcenda peccaſſe. Sol igitur non occidat ſuper diſcordiam Fratris tui. Prior accede, ut reconcilietur tibi.

PUNCTUM TERTIUM.

DEmum toto cordis affectu *cum diſcordantibus ante ſolis occaſum in pacem redeundum*

est. Nihil enim prodeſt exterius concordiam procurare, & interius diſcordiam fovere. Non diu ſimulata concordia durat. Quovis verbo, imo quavis ſuſpicione rumpitur. Ex corde pax redintegranda eſt. Hinc Chriſtus docens injuriam condonandum eſſe: exemplum illius Domini proponit, qui nobis tam facile, tam magnifice decem millia talenta condonavit. Qui namque ſua cogitat, ad dandam conſervo veniam, ad reſtituendam concordiam non ore ſolum, ſed corde facilior eſt. Perſpice, quot & quanta lucreris, ſi diſcordantem tibi reconciliaveris. Primo quod maximum eſt, remiſſionem peccatorum. Deinde patientiam, atque perſeverantiam laudabilem. Tertio manſuetudinem, & humanitatem: Nam qui ſibi inimicos reconciliat; multo magis amicis erit commodior. Quarto, quia procul ab ira ſemper tranquillo vives animo: nam qui neſcit odiſſe, nec triſtari cognovit; ſed continuo gaudens, bonis ſuis perfruitur. Sol igitur non occidat ſuper diſcordiam veſtram o Fratres mei! Toto cordis affectu pacem reſtituite. Certiſſime ſciatis; quia quantumlibet virtutibus quis veſtrum polleat, ſpiritualis fieri nullatenus poſſit, ſi uniri per concordiam Confratribus negligat. Scriptum quippe eſt: Fructus autem Spiritus eſt charitas, & pax. Qui ergo ſervare pacem non curat, ferre, ac referre fructum Spiritus recuſat.

PUN-

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religioſe! ſtatim cum diſcordante in pacem redis? Ira in ſinu ſtulti requieſcit. An prior diſcordantem pacificas? Soliciti, ſervare unitatem in vinculo pacis. An toto cordis affectu diſcordantem tibi reconcilias? Pacem habete, & Deus dilectionis, ac pacis erit vobiſcum. Dole, quod hucusque diſcordias ſeminaveris, foveris, neque in pacem poſt tot ſolis occaſus redieris. Propone

1. Cum diſcordante ſtatim,
2. Prior,
3. Toto cordis affectu in pacem redire.

DIES VII.

Quod non liceat Monachis extra Clauſtrum vagari.

Non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras; quia omnino non expedit animabus eorum. Cap. 66. v. 8.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctiſſimus Pater N. ſevere ſtatuit, *ut Monaſterium ita conſtruatur, ut non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras; quia omnino non expedit animabus eorum.* Hinc non licet 1. Monachis vagari extra Clauſtrum ex cauſa triſtitiæ. Porro duplex eſt triſtitia. Alia naturalis. Hæc mala eſt. Provenit ex inordi-

nata affectione, quæ aliquid appetit, & quod appetit obtinere non poteſt. Provenit ex eo, quod quis contra voluntatem aliquid pati debeat. Vana eſt. Vehementiſſimis ſuis motibus nihil obtinet, nihil effugit. Mortifera eſt. Vehementia paſſionum, niſi per gratiam Dei moderetur, aut ſupprimatur, lethalia vulnera & animæ, & corpori infligit. Nulla locorum mutatione curatur. Ille curare eam debet, qui ea affligitur. Et quomodo? Triſtitiam longe repellat a ſe abnegatione infrunitæ concupiſcentiæ, patientia, & ſubjectione. Altera ſancta eſt, quæ ſuis lachrymis ſordes peccatorum abſtergit. Hæc Religioſum nec puſillanimem, nec cupidum vagationis reddit; quia abundat cœleſti conſolatione. Imo ſicut cera mel, ita ipſa dulcedines cœli includit.

PUNCTUM SECUNDUM.

Non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras; quia non expedit animabus eorum. Ita præcipit SS. P. N. Hinc non licet Monachis vagari foras, propter melancholiam. Alii ſunt melancholici, quia Deus ipſis ſubtraxit gratiam. Ad ideo foras vagari non debent. Reſignent ſe Divinæ voluntati. Statu ſuo contenti vivant. Per fidem, ſpem, & charitatem ambulent. Secus crux iſta ipſis duplicabitur. Alii ſunt melancholici ex natura. At propterea minime vagari debent. Non licet mediis uti, quæ a vocatione mentem, animumque abſtrahunt, quamvis finis intentus bonus ſit. Orent igitur,

igitur, cum triſtantur. Alii demum ſunt melancholici; quia ſunt acedioſi. Clauſtrum ipſis carcer eſt. Diſciplina mancipatus eſt. Religio mater quietis & conſolationis, nutrix eſt tædii, ac perturbationis. At hac de cauſa Monachi vagari non debent. Pœnitentiam agant; quia vocationem ſuam neglexerunt, & Divinæ gratiæ reſtiterunt. Sic perfecta converſione ad Deum quietem animæ, & animi obtinebunt. O Religioſe! ſi una, aut altera ex his melancholia tangeris, noli te effundere ad ſolatia externa. Nihil juvant. Poſt horam majorem ſenties triſtitiam. Utere mediis, quæ te ad cor, & ad Deum revocant.

PUNCTUM TERTIUM.

N*On ſit neceſſitas Monachis vagandi foras; quia non expedit animabus eorum.* Sic jubet SS. P. N. Hinc non licet vagari foras proptet infirmitatem. Nunquam enim magis concupiſcentia vagandi foras, vel ſenſualiter nos delectandi excitat, quam dum animo, aut corpore infirmamur. Verum & tunc maxime refrenanda eſt, ne nos a vocatione noſtra, vel a Deo abducat. Deinde nonne ideo vivimus, ut bene moriamur? Nonne ideo Monaſterium ingreſſi ſumus, ut feliciter moriamur? Nonne ideo ſæculo per profeſſionem mortui ſumus, ut cum deſiderio beatam mortem exſpectamus? Quomodo ergo ea media appetamus, quæ malæ mortis cauſa ſunt? Nonne ideo Monaſterium ingreſſi ſumus, ut pœniten-

tiam agamus? Nonne ideo Monafterium ingreffi fumus, ut pro peccatis noftris fatisfaciamus? Quomodo ergo libertatem fenfuum, aut carnis appetere poffimus? Nonne potius cum S. Auguftino optemus. Hic ure, hic feca: tantum in æternum parcas.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiofe! nunquam vagandi cupidus fuifti ob triftitiam? Solitudo, & labor utilis omnem triftitiam pellit. An non vagandi cupidus fuifti propter melancholiam? Bona confcientia eft juge convivium. An non vagandi cupidus fuifti propter corporis imbecillitatem? Magna fatisfactio pro peccatis eft jugis infirmitas corporis. Dole, quod cupiditatem vagandi foras fpiritu, ac fervore mentis non refrænaveris. Propone non vagari

1. Ob triftitiam, nec
2. Ob melancholiam, neque
3. Ob infirmitates corporis.

DIES VIII.

De Zeli malitia.

Zelum non habere. Cap. 4. Inftr. 65.

PUNCTUM PRIMUM.

ZElus, *quem SS. Pater non habere* præcipit, eft cupiditas inimicitiæ, odiumque exercendi erga illos, qui feliciorem

rem habent ſucceſſum. Porro hic zelus non habendus eſt in donis naturæ, in donis gratiæ, & in bonis externis. Non habendus eſt in donis naturæ. Omnia enim dona naturæ a Deo collata ſunt, qui unicuique dedit tot, & tanta, quot, & quanta ad Dei gloriam & ſalutem propriam neceſſaria erant. Diabolicum proinde eſt, zelari Confratrem ob præſtantiora naturæ talenta. Dolens quippe Diabolus ob præclara dona homini conceſſa, quando Deo nocere non valuit, ipſum hominem inſidiis petiit. Quid iniquius, quam adverſari ipſi Authori naturæ? Quid magis ingratum, quam ſuis talentis contentum non eſſe? Quid pernicioſius, quam innocentem perſequi, & opprimere? Quid magis inquietum, quam diu noctuque anxia æmulum deſpectum reddendi cura fatigari? Non enim zelator habebit requiem; donec æmulum contemptum aſpexerit. O quot ex hoc zelo naſcuntur peccata? Nullum finem zelus habet peccandi.

PUNCTUM SECUNDUM.

ZElum non habere oportet in donis gratiæ. Quod enim peccatum gravius eſſe poſſit? Neque enim qui hunc zelum habet cum Fratre tantum, ſed & cum Dei voluntate depugnat, qui dedit unicuique ſecundum menſuram donationis Chriſti. Id genus homo una cum Diabolo juſto bellum infert. Fortaſſe etiam & multo peſtilentius. Iſte inviſibiliter tentat. Ille viſibiliter a bono Confratrem retra-

here, & impedire ſatagit. At cur quæſo te impalleſcis? cur tremis? Cur formidoloſus es?. Quid tandem mali accidit? Quod ob accuratam Regulæ obſervantiam, & quotidianum in virtute profectum bene audiat, omnes ædificet Confrater tuus? Igitur oportet lætitia exilire, Deumque glorificare, quod membrum tuum relucens, & illuſtre factum eſt. An tibi dolet, quod Deus glorificatur? Vides, quo bellum ipſum pertineat? Dices; non mihi moleſta eſt Dei gloria, ſed Fratris. Verum per hunc Fratrem gloria ad Deum aſcendit. Nec hoc, inquis, mihi dolet, ſed vellem Deum per me glorificari. Igitur Fratre bene ambulante, & audiente, gaude, imitare illum, ac tunc per te etiam Deus glorificabitur.

PUNCTUM TERTIUM.

ZElum *non habere* oportet in bonis externis. Quare enim zeleris Fratrem ob famam, honores, commoditates temporales? Si verus Religioſus eſt, ipſemet ab eis abhorrebit, libenterque tibi cedet. Si malus Religioſus eſt, cedent ei in ruinam. Et tamen iſto zelo inter Religioſos nullus extat frequentior. Ambo priores ex hoc plerumque naſcuntur. Hinc odia, diſcordiæ, detractiones, iræ, rixæ, inimicitiæ, murmura, triſtitiæ, malum omne. O quam perverſi ſunt ejusmodi zelatores! zelantur alios in malum, & zelum ſalutis ſuæ nullum habent. Obliti vivunt vocationis ſuæ,

quæ

quæ ad aliud, quam ad conſtantem humilitatem, & mortificationem non vocat. O quam miſeri ſunt ejusmodi zelatores! nullo tempore quieſcunt. Nunquam & alios quieſcere ſinunt. Semper perturbantur, & alios turbant. O quam omnium ſceleratiſſimi ſunt! ſi enim Fratrem zelaris, omnium malitiam exceſſiſti, quod vel inde conſtat: Scortatus quidam apud Corinthios brevi vitam emendavit. Cain Fratrem zelando nunquam odium poſuit. Tu igitur, o Religioſe! nihil terrenum juxta vocationem tuam appete. Nullum zelaberis.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! Confratrem non zelaris propter ampliora dona naturæ? Eja! æmulare chariſmata meliora. An Confratrem non zelaris ob ampliores gratias? Bonum æmulare in bono ſemper. An Confratrem non zelaris propter bona externa? Saul zelatus eſt David; quia Victoria contra Goliath ipſi adſcribebatur. Tu ſectare charitatem. Dole, quod zeli hujus flamma vix non abſumpſerit animam tuam. Propone.

1. Zelum non habere erga Confratrem ob ampliora dona naturæ,
2. Ob ampliora dona gratiæ,
3. Ob ampliora bona externa.

DIES IX.

De Mercede cœlestis Gloriæ.

Merces nobis a Domino recompensabitur, quam ipse promisit. Cap. 4. v. 73.

PUNCTUM PRIMUM.

E*Cce hæc sunt instrumenta artis spiritualis: quæ cum fuerint a nobis die, noctuque incessabiliter adimpleta; illa merces nobis a Domino recompensabitur, quam ipse promisit: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; quæ præparavit Deus his, qui diligunt eum.* Ita SS. Pater nos ad jugem amorem spei adhortatur. Nil quippe fortius nos ad exercitium bonorum operum impellit, quam iste amor. Quis enim *non diu noctuque incessabiliter instrumenta artis spiritualis adimpleat*, qui considerat horum mercedem esse gloriam cœlestem omni labore, & dolore carentem? Revera ibi erit requies illa, ubi fugit dolor, tristitia, & gemitus. Ubi neque solicitudines, neque labores, neque agones, neque timores obstupescere facient animam. Non illic invidia, non zelus, non ullum peccandi periculum est. Non est ibi fatigari, neque fastidium capere, sed semper in desiderio bonorum perseverabimus. Non est ibi morbus, neque mors corporis, neque illa, quæ est animæ.

mæ. Non ſunt ibi tenebræ, neque nox; ſed perpetua claritas. Vis, o Religioſe! ut dem tibi ſimilitudinem? Suſpice in cœlum, quando nulla ſe interponit nubes, & clara eſt omnis ejus corona; ſic beatitudo tua erit ſine dolore, & labore ſerena. Nunquid ergo brevem dolorem ſuperabis in coercendis vitiis? Nunquid brevem & momentaneum laborem tolerabis in exercendis virtutibus? Poſt brevem dolorem ſequetur voluptas æterna ſine dolore. Poſt momentaneum laborem ſequetur requies ſine labore.

PUNCTUM SECUNDUM.

QUis non *diu, noctuque inceſſabiliter inſtrumenta artis ſpiritualis adimpleat*, qui conſiderat horum mercedem eſſe gloriam cœleſtem æternum duraturam? Tanta ſiquidem eſt jucunditas lucis æternæ, ut etiamſi non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora; propter hoc ſolum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum recte, meritoque contemnerentur. Non enim falſo dictum eſt: quoniam melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. O Religioſe! nunquid non contemnes & tu omnia viſibilia, ut ſine impedimento inſtrumenta artis ſpiritualis adimpleas? Non una tantum dies æternæ Beatitudinis; ſed incommutabilitas æternitatis, & æternitas felicitatis, tibi retribuetur.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

QUis non *diu, noctuque inceſſabiliter inſtrumenta artis ſpiritualis adimpleat*, qui conſiderat horum mercedem eſſe gloriam cœleſtem omnem cognitionem, & ſenſibilitatem humanam excedentem? Videbit tunc oculus tuus, quæ nullius hominis oculus in terris videre potuit. Audiet tunc auris tua, quæ auris nulla per ſonum hauſit. Sentiet tunc cor tuum, quæ cor humanum nec intelligere, nec ſentire potuit. Infinitæ enim rei, quis erit finis? Immenſa, qua menſura metieris. Potius totum mare in arctiſſimo vaſculo includeres, quam gaudiorum, & gloriæ, quibus beatorum animæ ſine fine potiuntur, minorem intelligeres particulam. Hic non quæras, quæ non alibi, niſi quo tam feliciter properas, inveniri poſſunt. Hic ſatage, talia exercere opera, ut ea, quæ hic aliqualiter intelligere cupis, in æternum habeas. O Religioſe! iſta accurate diſcute. Verba ſunt S. Patris de cœlo apparentis. Et ſi diſcuſſeris quid aliud deinceps diu noctuque ages, quam ut opere inceſſabiliter inſtrumenta bonorum operum adimpleas?

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! libenter ſuſtines laborem, & dolorem in exercitio virtutis, ut Beatitudinem ſine labore, & dolore obtineas? Non amplius erit neque clamor, neque dolor erit ultra. An viſibilia momentaneæ delectatio-

lectationis contemnis ad removenda impedimenta in exercitio virtutum occurrentia, ut æternam Beatitudinem obtineas? Regni ejus non erit finis. An opere, & incessanter opera bona exerces, ut gloriam omnem captum excedentem obtineas? Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Dole, quod te amore Beatitudinis ad exercitium bonorum operum non excitaveris. Propone ad obtentum Gloriæ cœlestis

1. Laborem, doloremque in exercitio virtutis superare,
2. Exercendæ virtuti contemptis visibilibus incumbere.
3. Actu, & incessanter bona opera peragere.

DIES X.
IN FESTO S. LAURENTII, M.
De Fortitudine Religiosa.

Si quid paululum restrictius processerit, non illico pavore perterritus refugias viam salutis. Prolog. 34.

PUNCTUM PRIMUM

SAnctus Laurentius magna fortitudine sæculum sprevit; quia fortius semetipsum superavit, quando amore Christi amorem dilectissimi Patris sui Xisti reliquit. Opus

est

est fortitudine, & magna fortitudine ad victoriam sui ipsius. Hac de causa SS. P. N. hortatur: *Si quid paululum restrictius propter emendationem vitiorum processerit; non illico pavore perterritus refugias viam salutis.* Fortitudo namque in hoc præcipue spectatur, ut seipsum quis vincat, & externa omnia pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis, quam expetenda ducat. Quid enim tam præclarum, quam ut iram contineas, nullis illecebris inflectaris, non adversis perturberis, non extollaris secundis, nulla rerum mutatione muteris? Quid tam gloriosum, quam ut neque divitias, neque voluptates, neque honores in maximis constituas, sed ex animo contemnas? Hæc vera, ac necessaria fortitudo Religiosi athletæ est, ut sic legitime certando vincat seipsum, & sæculum cum S. Laurentio, atque vincendo coronetur. Sine hac quippe fortitudine semper pavidus erit, Semper cuivis pravo affectui succumbet. Pro varietate objectorum mutabitur. Refugiet viam salutis.

PUNCTUM SECUNDUM.

SAnctus Laurentius magna fortitudine virtutes sibi comparabat. Aspice fortitudinem ejus in fide, qua non obstante furore gentilium Evangelium Christi annunciavit. Aspice fortitudinem in amore proximi, qua contemptis jussis Principis terreni, thesauros Ecclesiæ pauperibus distribuit. Aspice fortitudinem

nem zeli ipsius, quo inter furentes gentiles quam plurimos ad fidem Christi convertit. Opus namque est fortitudine ad acquirendam virtutem. Unde SS. Legislator noster monet: *Si quid paululum restrictius processerit, non illico perterritus, refugias viam salutis; processu conversationis inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei.* Fortitudinis quippe est, ut ea, quæ summa sunt omnesque res, in quibus honestas virtutis relucet, præclara animi intentione usque ad effectum prosequatur. Fortitudinis est, ut propter nullam difficultatem, metum, aut ignaviam occasionem virtutis exercendæ negligat, aut deserat. Fortitudinis est, ut gratia præparet animum, exerceat mentem, constabiliat ad constantiam, quatenus nullis molestiis, nec longitudine temporis a virtutis exercitio deficiat, vel non proficiat. Fortitudinis est, ut minores molestiæ formidinem semper metu æternorum suppliciorum vincat. Fortitudinis est, ut futura prospiciat adversa, & prætendat, nec quasi contra opinionem accidisse arbitretur. Sic nunquam in adversis deficiet. Fortitudinis demum est, judicium suum rationi conformare, ut quæ virtuosa non sunt, ceu inhonesta constanter contemnat, & quæ virtutis Religiosæ sunt, ceu summe æstimanda amplectatur. Nisi ita fortis fueris cum SS. Laurentio, nunquam ad virtutem ascendes. Modo proficies, modo deficies. Nunquam dilata-

bitur cor tuum. Nunquam inenarrabilem illam dilectionis dulcedinem experieris.

PUNCTUM TERTIUM.

SAnctus Laurentius maxima fortitudine ad bravium vocationis ſuæ contendit. Inde enim Tyranno in craticula poſitus inſultavit: Aſſatum eſt, jam verſa, & manduca. Hac gloriam Martyrii obtinuit. Opus namque eſt fortitudine ad præmium vocationis acquirendum. Ideo SS. P. N. ſuadet: *Si quid paululum restrictius proceſſerit, non illico pavore perterritus refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio incipienda.* Hoc ſuo quoque exemplo confirmat Apoſtolus. Perſequor autem bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto JEſu. Quid enim eſt perſequi bravium ſupernæ vocationis, niſi omni fortitudine currere viam Mandatorum Dei juxta vocationem ſuam. Non enim ſufficit, & quam maxime Religioſo, minimis obſervantiis Regulæ contentum vivere. Obligatur vi converſionis morum ad ſublimia vocationis ſuæ præcepta implenda contendere. Sat damnationis habet, & ſi gravius peccatum non committat; ſi ad anteriora ſe extendere omittat. Qua igitur fortitudine opus non eſt Religioſo, ut tam ſublimis ſublime vocationis ſuæ bravium adipiſcatur?

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! fortis es ad vincendum temetipsum? Accinge fortitudine lumbos tuos. An fortis es ad acquirendam virtutem? Robora brachium tuum. An fortis es ad obtinendum bravium vocationis tuæ? Non coronaberis, nisi legitime certaveris. Dole, quod hucusque tam perterritus viam salutis refugeris. Propone cum S. Laurentio fortis esse

1. Ad vincendum temetipsum.
2. Ad acquirendam virtutem.
3. Ad obtinendum bravium vocationis tuæ.

DIES XI.

De Motivis obediendi sine mora.

Obedientia sine mora convenit his, qui nihil sibi a Christo charius aliquid existimant propter servitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ. Cap. 5. v. 1. & 2.

PUNCTUM PRIMUM.

TRia SS. P. N. fortissima obedientiæ sine mora motiva proponit: *Hæc*, inquit, *convenit his, qui nihil sibi a Christo charius aliquid existimant, propter servitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ. Pro-*

pter servitium sanctum, quod professi sunt. O quanta alacritate, & promptitudine non obediet, qui agnoscit gravitatem voti, quo obedire in S. Professione promisit? Qui votum istud non servat, Deo mentitur. Deo omnis ipsius religio accepta non est. Accelerata morte ab eo punietur. O quanta animi, & vultus hilaritate obediet, qui agnoscit, quod sine obedientia primum, & maximum illud mandatum implere non possit? Qui obedientiam vovet, Deum super omnia diligit. Abnegat etenim propriam voluntatem, & Divinæ solummodo inhæret. Plenitudo siquidem legis est dilectio, & hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus. O quanta velocitate obediet, qui *a Christo nihil aliquid sibi charius existimat*? Etenim si Jacobo plurimorum annorum labores paucorum videbantur dierum præ magnitudine amoris, quo Rachel amabat; quam dulces & breves homini professo erunt labores SS. Obedientiæ, queis Christum lucrifaciat?

PUNCTUM SECUNDUM.

O*Bedientia convenit his, qui nihil sibi a Christo charius aliquid existimant, seu propter metum gehennæ.* Quis namque ad obedientiam etiam impossibilium non gestiat obedire, si perpendat pœnas, inobedientibus in inferno præparatas? Ibi semper patientur, quod nolent. Ibi semper ipsis negabitur, quod volent. Et quia semper obdurarunt voluntatem

suam

suam contra Dei, SS. Regulæ, & Superiorum præcepta; hinc cum obdurato Pharaöne non in rubro mari demergentur, sed in pelagus ignis intrudentur. O pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum! O ignem sævissimum, qui ignes nostri calorem ineffabiliter superat! hujus flamma montium instar ascendit, & maximam conficit abyssum. Pro! si sensibilis iste, atque materialis ignis eos, qui extra fornacem erant, quasi in momento absorpsit, quid iste ignis faciet inobedientibus? Ista, o Religiose! pensa, & nulla obedientia tibi dura, gravis, aut impossibilis videbitur. Sine mora obedies. Hoc namque modo, & non alio ignem illum terribilem evades. Cesset etenim propria voluntas, & infernus non erit.

PUNCTUM TERTIUM.

O*Bedientia convenit his, qui nihil sibi a Christo charius aliquid existimant, vel propter gloriam æternæ vitæ.* Nemo sane non obediet sine mora, qui contemplatur gloriam æternæ vitæ, quam Deus dabit facientibus voluntatem suam. Ibi habebunt, quidquid volent. Ibi non habebunt, quidquid nolent. Ibi Deus semper faciet voluntatem eorum, qui hic ipsius fecerunt voluntatem. Quidquid desiderabunt, erit eis. Quidquid delectabit, eveniet ipsis. Omnes divitias, omnes delicias, omnes honores, omnem requiem, omne solatium, omne gaudium possidebunt. Amore

summi boni inebriabuntur. Concordia, & charitate Sanctorum omnium fruentur. Nonne mille annos sub durissimo obedientiæ jugo pro una hora vitæ æternæ libenter vivere deberes? Sed nunquid non paucos annos sub suavi SS. Obedientiæ jugo traduces, ut vitam vivas æternam?

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! propter servitium sanctum, quod professus es, prompte obedis? Displicet Deo stulta promissio. An propter metum gehennæ absque mora obedis? Quid ibi ardebit, nisi propria voluntas? An propter gloriam vitæ æternæ alacriter obedis? Ubi ego sum, illic sit & minister meus. Dole, quod tam parum obedire hucusque studueris. Propone absque mora obedire,

1. Propter servitium sanctum, quod professus es.
2. Propter metum gehennæ.
3. Propter gloriam vitæ æternæ.

DIES XII.

De Paucitate Salvandorum.

Angusta via est, quæ ducit ad vitam. Cap. 5. v. 6.

PUN-

PUNCTUM PRIMUM.

MOyſi dictum eſt in diviſione hæreditatis. Pluribus majorem partem dabis, & paucioribus minorem. Hæc diviſio ſpeciem tenet futurorum bonorum, quæ a fidelibus ſperantur. In hac beatiores ſunt, qui pauci ſunt, quam qui plures. Nam plures per viam latam, & ſpatioſam, quæ ducit ad infernum, iter agunt. Pauci vero per anguſtam, & arctam viam pergunt, quæ ducit ad vitam. Unde in aliis dicitur: Quam pauci ſunt, qui ſalvantur. Et iterum in aliis: Ubi multiplicabitur iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Hinc terram plures hæreditantur. Pauci vero Dominum pro hæreditate accipiunt. Ne putes, quod iſta ſolum de hominibus ſæcularibus intelligenda ſint; Abbas quidam ab extaſi in ſe reverſus cum gemitu exclamavit: O quam multos etiam ex noſtro ordine vidi deſcendere in infernum; dum homines ſæculares ipſis gloriam cœleſtem præripiunt! At ſi eo tempore, quo vigebat maxime diſciplinæ auſteritas, hic S. Vir tot vidit Monachos damnari, quid de Monachis hujus temporis, in quo mera diſciplinæ eſt laxitas, ediceret. Sane ex centum vix unum ſalvandum eſſe pronunciaret. Tu ergo ſemper Diſciplinæ *anguſtam viam*, ut monet SS. Pater, *arripe. Anguſta enim eſt via, quæ ducit ad vitam.*

PUNCTUM SECUNDUM.

IN arca Noë, ubi mensuræ cœlitus dantur, in inferioribus trecentorum cubitorum ponitur longitudo, & quinquaginta latitudo. Ubi vero tectum ejus ad summitatem consurgit, in unius cubiti spatium consummatur. In inferioribus bestiæ, pecudes, & aves collocantur. Summitatem homo rationalis inhabitat. Hinc, quæ sit differentia inter paucos, & multos collige. Pone enim omnem humani generis numerum. Ex universis gentibus elige fideles, sine dubio pauciores erunt, quam sint universi. Ex fidelium numero elige meliores, certum est, quod multo inferior numerus remanebit. Ex his rursus elige perfectiores, & pauciores iterum reperies. Pauci ergo solum in summitate cœli constituendi sunt; reliqui autem in inferioribus partibus terræ collocabuntur. Tu, o Religiose! unum aut duos, qui ad summitatem cœli aspirant, duntaxat sequere. Multitudinem fuge. *Angusta enim est via, quæ ducit ad vitam.* Pauci solum eam incedunt.

PUNCTUM TERTIUM.

PAuci sunt, qui salvantur. Multi quidem sunt vocati; sed pauci electi. Multi sunt vocati; sed quia non faciunt justitiam vocationis suæ, Regnum Dei transfertur ad paucos, qui faciunt justitiam ejus. Hinc S. Chrysostomus Hom. 40. ad pop. Tom. 5. ait: Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fient? Infestum quidem

est,

eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen: Non poſſunt in tot millibus centum inveniri, qui ſalventur; quin & de his dubito. Quanta enim in juvenibus, quæſo, malitia? Quantus in ſenibus torpor? Quis ad iſta non expaveſcat? Quis non gratiam vocationis ſuæ bonis operibus certam reddere conetur? Quis non ſtudioſe talentum ſuum duplicare totis viribus nitatur, ne coronam ſibi præparatam in alterum transferat? Ah! ſequere igitur paucos, qui talenta ſua bene impendunt: *Anguſta enim eſt via, quæ ducit ad vitam.*

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! arctam viam diſciplinæ ingrederis, ut cum paucis ſalveris? Contendite intrare per anguſtam portam. An unius, aut duorum ſolum exempla ſequeris, ut cum paucis ſalveris? Domine ſi pauci ſunt, qui ſalvantur? An gratiam vocationis tuæ tibi cum paucis certam facis, ne corona tua alteri, ſecundum eam digne ambulanti, detur? Regnum Dei transferetur ad populum alterum, facientem juſtitias ejus. Dole, quod hucusque nimia ſecuritate deluſus, non contenderis per anguſtam portam cœlum intrare. Propone

1. Per anguſtam diſciplinæ viam incedere,
2. Unius, aut duorum tantum exemplum ſequi,
3. Vocationem tuam bonis operibus certam facere, ut cum paucis ſalveris.

DIES XIII.

De Contradictione.

Obedientia, si cum responsione nolentis efficiatur, pœnam incurrit. Cap. 5. v. 8. & 12.

PUNCTUM PRIMUM.

INter omnes inobedientiæ species perniciosissima sane est contradictio. Unde & SS. Pater eandem severe hisce prohibet: *Obedientia, si cum responsione nolentis efficiatur, pœnam incurrit.* Ex quibus triplicem contradictionem intellige. Prima est; si obedientiam verbo, sed non opere præstes. Provenit ista inobedientia a judicio proprio. Dum enim quis præceptum Superioris aut inutile, vel indiscretum, aut superfluum judicat, omittit agere, quod præceptum est. At non agendo pœnam contradicentium incurrit. Quantas enim pœnas non dabit, qui ipsius Dei judicium contemnere inSuperioris judicio non veretur? Tu, ne judicio proprio, & opere neglecto, vel *trepide*, *tarde*, *tepide*, aut imperfecte, illud peragendo Superiori contradicas, obtempera simpliciter. Noli, ut multi solent, post præcipientis imperium multas facere quæstiones. Cur? Quare? Quamobrem? Inde querelæ. Inde murmuratio. Inde amaritudo. Inde neglectus præcepti. Ah! noli errare, Deus non irridetur. Contradicis Prælato? Elevat manum suam ad prosternendum te dextera Dei.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

O*Bedientia, ſi cum reſponſione nolentis efficiatur, pœnam incurrit.* Altera contradictio enim eſt, ſi opus quidem præſtes, ſed verbis contradicas. Provenit ex voluntate propria. Dum namque velle tuum ſubjicere recuſas, & tamen propter pœnam opus omittere times, ex repugnantia voluntatis contradicis, & ex metu diſciplinæ obedis. Verum absque merito. Deus quippe cor reſpicit obedientis. Et quas pœnas non dabit, qui cum reſponſione nolentis obediendo alios quoque ad inobedientiæ crimen pertrahit? Inde namque frequens excuſatio. Inde ſimulatio impoſſibilitatis. Inde advocatio amicorum. Inde verba indignationem, & averſionem redolentia. Tu, ne pœnam ſcandaloſorum contradictorum incurras, velociter obtempera. *In auditu auris obedi. Vicino obedientiæ pede, jubentis vocem factis ſequere, ut veluti uno momento prædicta magiſtri juſſio, & perfecta tua opera in velocitate timoris Dei, ambæ res communiter citius explicentur.*

PUNCTUM TERTIUM.

O*Bedientia, ſi cum reſponſione nolentis efficiatur, pœnam incurrit.* Ex hoc intellige tertiam contradictionem, ſi videlicet & contradicas, & opus non efficias. Provenit ex temeraria, & intolerabili ſuperbia. Dum etenim prudentiorem, doctiorem, aut perfe-

ctio-

ctiorem te æſtimas Superiore tuo, quid aliud ſequi poteſt, quam ut crebro *cum illo intus, vel foris Monaſterium contendas*, imperia illius *cum reſponſione nolentis* contemnas? At quas pœnas pro contemptu, quo Deum in Superiore ſpernis, dabis? Nonne qui ſpernis, & ipſe ſperneris? Nonne qui contemnis, & ipſe contemneris? *Rebellio judicaberis. Prævalens tibi pœna erit ipſa mors.* Tu, ne tam terribiliter a Deo puniaris, ſemper crede; *quia obedientia, quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. Ipſe enim dicit: Qui vos audit, me audit.* Ergo cum bono animo obedi. *Hilarem namque datorem diligit Deus.*

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religioſe! verbo obedis, & opere contradicis? Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter. An verbo contradicis, & opere obedis? Quod ſi audire nolueris vocem Domini; venient ſuper te omnes maledictiones. An verbo, & opere contradicis? Qui autem ſuperbierit, nolens obedire imperio, morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël. Dole, quod & tu non ſimpliciter, & cum bono animo Superiori tuo tanquam ipſi Deo hucusque obedieris. Propone

1. Nec opere,
2. Nec verbo,
3. Neque verbo, & opere ſimul contradicere.

DIES

DIES XIV.

De Humiliationibus externis.

Nisi satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, majori vindictæ subjaceat Cap. 45. v. 1.

PUNCTUM PRIMUM.

TRes humiliationes externas SS. Pater requirit. Primam exigit ab eo, qui fallitur in Oratorio. *Si quis, dum pronunciat Psalmum, Responsorium, aut Antiphonam, vel Lectionem fallitur: nisi satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, majori vindictæ subjaceat.* Merito gravius luet; *quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit.* Grandis sane Patribus antiquis negligentia semper visa est, si quis vel minimum errorem in psallendo admisisset. Ratio eorum prima erat; quoniam cum tepore, & negligenter oraret. Altera vero; quia impediret alterum, qui intentius psallit. Tanti æstimabant opus Dei. Viva fide in psalmodia Universorum Domino assistebant. Angelos quoque præsentes indubitato credebant. Ceu Angeli ipsimet excessivo, atque intolerabili fervore Spiritus sancti accensi, non ex alieno, sed ex proprio sensu, & affectu psalmos decantabant. Hinc non immerito nec minimam negligentiam patiebantur. O Religiose! si Pa-

trum

trum devotionem in psallendo assequi non vales, saltem dum erras, eorum humilitatem sectare. Humilitate corrige, quod per negligentiam deliquisti.

PUNCTUM SECUNDUM.

ALteram exigit ab eo, qui tardius occurrunt ad Officium Divinum, vel mensam, aut alias in quibuslibet rebus delinquunt. De Prioribus enim asserit. *Quod si quis tarde occurrerit, non stet in ordine suo in Choro, sed ultimus omnium stet, aut in loco, quem talibus negligentibus seorsum constituerit Abbas, ut videatur ab omnibus, & vel pro ipsa verecundia sua emendetur.* De aliis ait: *Ad mensam, qui ante versum non occurrerit, si non usque ad secundam vicem emendaverit, non permittatur ad mensæ communis participationem.* De ultimis demum jubet: *Si quis quid excesserit, & non veniens continuo ante Abbatem vel congregationem ultro satisfecerit, majori subjaceat emendationi.* O humilitas, quam grata, & accepta es Deo, & hominibus! non solum Divinam justitiam placat, sed etiam humanæ satisfacit. Tollit culpam. Pœnam mitigat, aut penitus aufert. Procurat vitæ emendationem. Scandalum suo exemplo delet. Unde qui vim humilitatis agnoscit, & qui vere in se humilis est, nunquam ejusmodi humiliationes externas spernet, aut omittet. Sibi ipsi enim displicet. Cognoscit suum teporem in opere Dei, acediam in obedientia, desidiam in observantia

tia S. Regulæ. Ipſe proinde non humilis, ſed vilis per ejusmodi humiliationes externas cupit ab omnibus reputari. Vult ſuas transgreſſiones acriter caſtigari. Et quo magis inde deſpicitur, eo profundius humiliat ſemetipſum. Hoc vero modo S. Regulæ etiam errando ſatisfaciat, eamque obſervat. O Religioſe! deficis in pluribus SS. Regulæ præceptis? Juxta SS. Regulam ſaltem te humilia. Humilitate corriges, quidquid per negligentiam deliquiſti.

PUNCTUM TERTIUM.

TErtiam exigit ab eo, qui Priorem aliquem offendit: *Si quis Frater pro quavis minima cauſa ab Abbate, vel quocunque Priore ſuo corripiatur, quolibet modo, vel ſi leviter ſenſerit animum Prioris cujuscunque contra ſe iratum, vel commotum quamvis modice, mox ſine mora tamdiu proſtratus in terra ante pedes ejus jaceat ſatisfaciens, uſque dum benedictione ſanetur illa commotio.* O potentiam humilitatis! omnem manſuefacit iram. Quemadmodum enim Solis jubar, ut primum apparet, fugat tenebras, ita humilitas ſua humiliatione omnem commotionem componit, & animum tranquillum reddit. Porro quod in corporibus noſtris nervi, hoc eſt humilis Frater in Monaſterio. Quia ſicut nervi diſperſa, & ſeparata conjungunt; ita humiliatio diſſidentes animos conciliat. Quis enim tam commoti animi eſt, ut humilitate offendentis non emolliatur? Sane humiliatio oleum lilii eſt, quod

om-

omnem iram, & vindictam lenit, ac ſupprimit. Tu ergo, ne a terra ſurgas, ne humiliare te deſinas, donec charitatem Superiorum, aut Fratrum reſtitueris. Humilitate corrige, quod contra charitatem deliquiſti.

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religioſe! te ob errores in Choro humilias? Humiliatio Deo ſatisfacit. An te humilias ob defectus Regulæ? Humiliatio diſciplinam integram conſervat. An te humilias ad ſedandam commotionem Fratrum? Humiliatio charitatem redintegrat. Dole, quod defectus tuos humilitate corrigere neglexeris. Propone

1. Humiliatione defectus in Choro,
2. In Regulari diſciplina,
3. In commotione Priorum corrigere.

DIES XV.

IN GLORIOSA ASSUMPTIONE B. V. MARIÆ.

De Humilitatis Exaltatione.

Qui ſe humiliat, exaltabitur. Cap. 7. §. 1. v. 1.

PUNCTUM PRIMUM.

SI unquam hoc Divinæ Veritatis effatum, quod SS. Pater Noſter nobis proponit: *Qui ſe humiliat, exaltabitur*, adimpletum,

tum, in B. V. M. gloriosa Assumptione suum effectum sortitum est. Humiliavit se B. V. infra omnes creaturas; dum cogitavit, qualis esset ista salutatio. Indignissimam quippe se reputabat, quæ assumeretur in Matrem Dei. Et ecce! hodie exaltata est super omnes puras creaturas, super omnes homines, & Angelos sanctos. Sicut enim nec in terris locus dignior est humili uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, ita nec in cœlis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ Filius sublimavit. Hinc S. Ecclesia evangelicam lectionem recitat, in qua Benedicta in mulieribus excepisse intelligitur Salvatorem, ut ex hac inæstimabili susceptione aliquatenus æstimemus inæstimabilem illam susceptionem. Super omnem quippe creaturam a Filio exaltata est cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, & cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium. Quanto enim humilior fuit in terris, tanto sublimior facta est in cœlis. Cupis & tu exaltari in cœlis super cæteros, *omnibus te inferiorem, & viliorem non solum tua lingua pronuncia, sed etiam intimo cordis crede affectu.*

PUNCTUM SECUNDUM.

BEata Virgo turbata est in sermone Angeli. Indignam se reputavit, ut tam sublimia sibi annunciaret. Et ecce! turbantur, & stupent Angeli in gloriosa ipsius Exaltatione. Præ admiratione clamant: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens? Ac si ma-

nifestius dicant: Quanta est hæc, & unde ei de deserto mundi ascendenti affluentia tanta deliciarum, & gloriæ? Nec enim pares inveniuntur vel in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui a vultu gloriæ voluptatis gloria potamur. Quæ est ista, quæ de sub sole [ubi nihil est nisi labor, & dolor, & afflictio spiritus] ascendit deliciis spiritualibus affluens? Quid ni delicias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis favum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ singularis? Ascendens igitur de deserto Regina mundi etiam Angelis sanctis, ut canit Ecclesia, speciosa facta est, & suavis in deliciis suis; quia prius coram Angelo se humiliavit. Cupis, & tu exaltari ad Angelorum consortium, turbare de eorum consortio in terris; quia *ab Angelo tibi deputato quotidie, die, noctuque Domino factori tuo opera tua nunciantur.*

PUNCTUM TERTIUM.

BEata Virgo profundissime se coram Deo humiliat, dum se ancillam Domini confitetur. Proxima hinc collocatur ad thronum gloriæ Filii sui. Quantum enim humilitatis, & gratiæ in terris possedit præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis. Quod si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se: quod gloriæ pondus præparavit

humili

humili Matri suæ gignenti se, & præ omnibus super omnia diligenti se? Optimam plane partem gloriæ consecuta est Maria in cœlis; quia infimam sortem ancillæ Domini sibi elegit in terris. Cupis & tu exaltari ad gaudium Domini tui, prius *reum te omni hora de peccatis tuis existima, & jam te tremendo Judicio Dei repræsentari æstima.*

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religiose! infra omnes creaturas te humilias? *Qui se humiliat, exaltabitur.* An omni hora coram Angelo Custode propter negligentias tuas te humilias? *Qui se humiliat, exaltabitur.* An omni hora te propter peccata tua coram Deo judice humilias? *Qui se humiliat, exaltabitur.* Dole, quod cum gloriosa Regina cœli, & terræ te humiliare non curaveris; quatenus etiam cum eadem ad gloriam cœlestem exaltari merearis. Propone

1. Infra omnes te abjicere,

2. Coram Angelis omni hora de negligentia tua confundi,

3. Coram Deo judice tuo omni hora reum te de peccatis tuis agnoscere, ut saltem etiam assumaris per humilitatis meritum ad gloriam Dei.

DIES XVI. PRO FESTO SS. JOACHIMI PATRIS B. V. MARIÆ.

Quod celebratur Dom. infr. Oct. Assump. B. V.

Quomodo Religiosus in tribulatione subvenire debeat.

In tribulatione subvenire. Cap. 7. Instr. 18.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctissimus Patriarcha Joachim omnibus virtutibus clarere debuit; quia Parens Deiparæ effici promeruit. Inter alia SS. Patres commemorant, quod facultates suas in tres partes distribuerit. Primam Ecclesiæ, alteram pauperibus, & tertiam propriæ sustentationi assignavit. Mihi ex omnibus ejus donis gratiæ hodie placet misericordia in proximos; quia & ad hanc nos SS. P. N. obligat; dum ait: *In tribulatione subvenire.* Ut subvenias, viscera misericordiæ, & intimæ compassionis assumere debes. Non enim subveniet in tribulatione, qui nescit compati. O quam magna fuit ista compassio in Sanctis! Isaias Propheta omnes jubet recedere a se, ut amare flere posset. Non vult admittere consolatorem super vastitate filiæ populi sui. Jeremias optat aquam capiti suo, & oculis suis fontem lachrymarum, ut ploret die, ac nocte interfectos populi sui. Paulus eundem, in quo tribulatus versatur, statum induit. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandaliza-

lizatur, & ego non uror? Semper namque Sancti proximorum miſeriam propriam faciebant. Tantum illis, quantum ſibi ſuccurrebant; quia ſicut ſemetipſos omnes diligebant. Si eorum veſtigiis & tu inſiſtes, in omni tribulatione proximis tuis ſubvenies.

PUNCTUM SECUNDUM.

UT proximis *in tribulatione ſubvenias*; ora pro ipſis. Oratio etenim efficaciſſimum remedium eſt, ſublevandi omnem proximi tribulationem. Si namque oras pro tribulato, conſentis cum ejus oratione. Omnia juxta Divinum promiſſum levamina tribulationis illi impetras. Nullum quippe munus Deo acceptabilius eſt, quam oratio prolata ex radice veræ dilectionis. Quanto fervore non oravit Daniel ad avertendam deſolationem templi? In ſacco, & cinere poſtulat impleri, quod promiſerat Deus, Non quod eſſet incredulus, ſed ne in bono alieno curando negligens inveniretur. Ad hunc orationis zelum ipſemet Salvator noſter nos inſtruit, quando orationem Dominicam nos docuit. Non enim juſſit, unumquemque pro ſe ſolo orare, ſed pro omnibus, ſicut pro ſemetipſo. Non dixit: libera me a malo; ſed: libera nos a malo, ut pro malis alienis ſicut pro noſtris oremus.

PUNCTUM TERTIUM.

UT proximis *in tribulatione ſubvenias*, conſilio, & auxilio adjuva. Dum enim alie-

nam ſalutem ſive corporis, ſivæ animæ curas, tuam procuras. Siquidem Deus cum omnes invicem colligare vellet, talem rebus utilitatem impoſuit, ut in proximi utilitate etiam alterius colligata ſit. Itaque ſi piger fueris in cura Fratris tui, intellige nulla prorſus ratione te ſalutem conſecuturum. Conſidera, ſi quando domum aliquam contingat exuri, & vicini nullo conſilio, aut auxilio juvent; quantam jacturam faciant. Ignis quoque eorum domos, & univerſas facultates comburet. Haud ſecus ſi ſalutem proximi tui deſpicias, & tuam perdes. Econtra ſi promoveas, & tuam in tuto collocabis. Omnia ſiquidem Deus ita ordinavit, ut nemo in propriam veniat ſalutem, niſi per alienam tranſeat. Verum oportet, non hinc, ſed divina voluntate ad id adduci: nemo ſuum quærens commodum, ut id inveniat commodum. Tu igitur tanto ſtudioſius auxilio, & conſilio proximis *in tribulatione ſubveni*, quanto ardentius a propria tribulatione cupis liberari.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! viſcera miſericordiæ, & compaſſionis aſſumis, ut proximo ſubvenias? Deduc quaſi torrentem lachrymas per diem, & per noctem ſuper tribulationem Fratrum tuorum. An oras, ut in tribulatione ſubvenias? Leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum. An auxilio, & conſilio juvas, ut in tribulatione ſubvenias?

Pau-

Paulus non ſolum aliorum calamitatibus participavit; ſed etiam maximas ipſe ſubiit, ut cæteri bene haberent. Dole, quod hucusque proximis in tribulatione ſubvenire neglexeris. Propone cum S. Joachimo

1. Viſcera miſericordiæ induere, & in tribulatione ſubvenire.
2. Per orationem, atque
3. Per conſilium, & auxilium.

DIES XVII.

De tribus Motivis Converſionis Morum.

Cavendum eſt omni hora, Fratres, ſicut dicit in Pſalmo Propheta, ne nos declinantes in malo, & inutiles factos aliqua hora aſpiciat Deus. Cap. 7. §. 2. v. 28.

PUNCTUM PRIMUM.

UT nos SS. Pater noſter ad jugem morum noſtrorum converſionem excitaret, *cavendum eſt*, ait, *omni hora, Fratres, ſicut dicit in Pſalmo Propheta, ne nos declinantes in malo, & inutiles factos, aliqua hora aſpiciat Deus.* In his quippe duobus omnis morum converſio conſiſtit, ut declinemus a malo, & faciamus bonum. Ad iſtem vero morum converſionem primum motivum eſt, jugis memoria Divinæ præſentiæ. Unde SS. Pater vult, ut ſemper illud Prophetæ animo no-

noſtro revolvamus: *Oculi Domini ſpeculantur bonos, & malos. Dominus de cœlo ſemper reſpicit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* Quis enim tam obdurati cordis, ut non omni hora a malo declinet, & faciat bonum, ſi viva fide credat, Deum vel ad remunerationem, vel ad pœnam ſemper omnes ſuas cogitationes verba, & opera perſcrutari? Deus namque totus tibi ineſt, ſi bene agis. Adeſt ſemper per majorem gratiam, ut abundantiorem in cœlis retribuat pro bono gloriam. Adeſt & tibi, ſi male agis, per vindictam; quamvis longe ſit ab iniquis cogitationibus tuis. Intus quippe eſt, qui judicat. Et licet, quod in corde delinquimus, lateat homines; non tamen latet judicem noſtrum. Ipſo teſte, ipſo judice peccamus. Omnia enim nuda, & aperta ſunt oculis ejus. Et magis intrinſecus illi, quam extrinſecus hominibus conſpicabiles ſumus. Hinc ſi metuimus coram judice terreno inordinati apparere, quando magis timeamus Divinum Judicem, aut male, aut inutiliter agendo offendere? Hæc cogita omni hora. Semper convertes mores tuos in melius.

PUNCTUM SECUNDUM.

ALterum motivum eſt præſentia SS. Angelorum. Hinc SS. Pater ſerio ad illam nos hortatur, dicens: *Ab Angelis nobis deputatis quotidie die, noctuque Domino factori noſtro opera noſtra nunciantur.* Quis enim non de-

clinet

clinet a malo? Quis bonum non agat, si firmiter sibi præsentem credat Angelum suum Custodem? Quis audeat Angelo præsente, quod vidente homine non auderet? Quis non sequatur Angelum suum Custodem? Jugiter Creatori suo adhæret. Rectum iter ad Creatorem demonstrat. Ne offendas in via, in manibus portabit te. O quantum contristaberis eum, si opera mala tantum Creatori referre possit! o quantum lætificabis eum, si opera duntaxat bona illi nunciare valeat! vidit hoc Abbas Paulus simplex; quando intrantes Fratres in Ecclesiam accuratius intuebatur. Angeli cum gaudio omnes comitabantur. Unum solum fornicarium Dæmones misso fræno in naribus ejus trahebant. Angelus vero ipsius a longe sequebatur totus tristis. Vide ergo, ne & tu Angelum tuum Custodem contristes, ut te coram Deo judice aliqua hora accusare debeat. Jugiter converte mores tuos in melius.

PUNCTUM TERTIUM.

TErtium motivum est tempus conversionis semper prætervolans. Pro quo SS. P. N. suadet: *Et parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est, & exspectat nos converti in melius, ne dicat nobis in futuro: Hæc fecisti, & tacui.* Quodvis enim momentum temporis aut novam gloriam, aut novam pœnam in æternitate promeretur. Quomodo igitur quis vel momentum in malo impendat? Quomodo quis non omni momento mores suos convertat in

melius? Tempus etenim ſine intermiſſione volat. Sane ſi Cœlites doloris capaces forent, hoc unum dolerent, quod tempus in bonis operibus non ſtudioſius traduxiſſent. Et damnati centuplum multiplicatas pœnas uſque in diem judicii libenter ſuſtinerent, ſi vel unum momentum gratiæ de deperdito tempore recuperare poſſent. Et tu quot dies, & annos in malo, in otio, & negligentia non perdis? Ah! cogita omni hora: Ubi de hac vita migravero, omnis mihi benefaciendi facultas præciſa erit. Hoc ipſum ſolum tempus, quod hic vivo, ad emendationem dierum malorum, atque ad ea, per quæ gratiam ejus ineam, facienda Deus præfinivit. Ergo dum tempus habes, operare bonum. Mores tuos converte in melius: *Ne dicat tibi in futuro: Hæc feciſti, & tacui.*

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religioſe! convertis mores tuos ob præſentiam Dei? Deus ſcrutatur renes, & corda. An convertis mores tuos ob præſentiam Angelorum? Angelis ſuis Deus mandavit de te. An convertis mores tuos ob conceſſum tempus emendationis? Ecce! nunc tempus acceptabile. Dole, quod iſta motiva convertendi ſemper mores tuos non melius perpenderis. Propone omni hora breviter, ſed ſerio ad convertendos mores tuos

1. Vel præſentiam Dei,
2. Vel præſentiam Angelorum,
3. Vel tempus converſionis jugiter prætervolans cogitare.

DIES

DIES XVIII.

De Indifferentia in S. Obedientia.

Si qua requirenda sunt a Priore, cum omni humilitate, & subjectione reverentiæ requirantur. Cap. 6. v. 7.

PUNCTUM PRIMUM.

NEmo perfectam obtinebit obedientiam, nisi indifferentia judicii, & voluntatis hoc est, *omni subjectione* præ omnibus claruerit. Enimvero si illud duntaxat bonum, vel malum judicare non paratus sit, quod discretione Superioris tale cognoverit; nunquam perfecte alieno arbitrio vivet. Et si illud solum non volet, quod Superiori placuerit; nequaquam aliena voluntate ambulabit. Oportet igitur Religiosum indifferentem esse quoad munia ab obedientia injuncta; ita, ut pro libitu Superioris ea relinquere semper paratus sit. Hoc requirit SS. Pater, quando ait de Præposito: *Ideoque nos prævidemus expedire, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monasterii sui.* Quamdiu enim aliquid agitur, aut retinetur magis ex propria voluntate, quam ex obedientia; imperfectum est, imo non nunquam omni merito evacuatur. Perfecta namque obedientia nihil debet habere de suo, sed omnia ex alieno judicio, & voluntate. Si equidem aliquid habebit de suo;

quam ægre dimittet, quod ſemel illi injunctum eſt? Nonne clare patet, quod ſuo arbitrio, ſuæ voluntati ob commodum, gloriam propriam, vel convenientiam operis injuncti ad genium ſuum vixerit, quam judicio, & voluntate Superioris pro Dei gloria, & amore ſteterit? Verus obediens in omnibus ſemper manet indifferens.

PUNCTUM SECUNDUM.

OPortet Religioſum indifferentem eſſe quoad munia ab obedientia injungenda. Hoc requirit SS. Pater Noſter, quando de Cellerario ait: *Omnia, quæ ei injunxerit Abbas, ipſa habeat; à quibus prohibuerit, non præſumat.* Ita nempe indifferens ad omnia opera obedientiæ eſſe debet, ſicut indifferens eſt inſtrumentum in manu artificis ad uſum, vel non uſum. Quam primum aliquid ex proprio motu exquiſierit, aut egerit; proprium erit ſuæ voluntati, & judicio; ſed non Superioris. Diſplicet autem ubique Deo proprietas. Quid enim ſic Deus punit in homine, quam judicium proprium, & voluntatem propriam? Hinc ſancti Patres conſtanter aſſerebant: verum obedientem ſine omni propria electione, & exquiſitione ſolum debere attendere ad mandata Superioris ſui. Quomodo vero attendit mandatis Superioris ſui, qui propria electione, & exquiſitione eadem prævenit? Quomodo alieno judicio, & imperio vivit, qui ſuum ubique exquirit? An non ſibi ipſe potius im-

imperat, quam Superior? Verus obediens ad omnia eſt indifferens.

PUNCTUM TERTIUM.

OPortet Religioſum indifferentem eſſe, quoad petenda a Superiore. Hoc requirit SS. Pater Noſter, quando de taciturnitate ait: *Si qua requirenda ſunt a Priore, cum omni humilitate, & ſubjectione reverentiæ requirantur.* Voluit enim SS. Pater eradicare omnem proprietatem voluntatis. Quæ ſine ſubjectione, ſeu indifferentia, utrum concedantur, nec ne, petuntur, & obtenta, & denegata plurimum nocent. Etenim ſi obtinentur, ad quid deſerviunt, niſi ad implendam propriam voluntatem? Si autem denegantur, quid aliud cauſant, quam triſtitiam mentis, aut aperta contra Superiorem murmura? Inſatiabilis etenim eſt voluntas propria. Semper ea appetit, quæ aut vana, aut voluptuoſa ſunt. Vanitate, & voluptate nunquam expletur. O ſi Monachus ille ſuis importunis precibus licentiam abeundi ex Monaſterio a SS. Patre non extorſiſſet, nunquam Draconem infernalem ad devorandum ſe jamjam paratum in via offendiſſet! tune ergo tam nociva animæ tuæ, quæ Diabolus tibi per voluntatem propriam petenda ſuggerit, ſimiliter aſſiduis precibus extorqueas? Verus obediens eſt indifferens pro omnibus.

PUN-

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religiose! indifferens es in omni obedientia. Domine, quid me vis facere? An indifferens es ad omnem obedientiam? Paratus sum. An indifferens es pro omni obedientia? Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Dole, quod hucusque proprietatem voluntatis, & judicii tui in omnibus ferme secutus fueris. Propone

1. Indifferens esse in omni obedientia,
3. Ad omnem obedientiam,
3. Pro omni obedientia.

DIES XIX.

De Religiosa Modestia.

Festinent invicem se prævenire ad opus Dei; cum omni tamen Modestia. Cap. 22. v. 9.

PUNCTUM PRIMUM.

NIhil sic ædificat, quam modestia. Unde Apostolus hortatur. Modestia vestra, nota sit omnibus hominibus. Et SS. Pater nec minimum quid contra modestiam in suis admittit, dicens: *Festinent invicem se prævenire ad opus Dei, cum omni tamen modestia.* Tria vero ad hanc modestiam requirit. Primum consistit in moderamine oris. Vult etenim, ut *linguam ad loquendum prohibeat Monachus; & taciturnitatem habens*

bens usque ad interrogationem non loquatur: nam loqui, & docere magistrum condecet; tacere, & audire discipulo convenit. Vult, *ne sit facilis, ac promptus in risu, & clamosus in voce.* Vult, *ut cum loquitur Monachus, leniter, & sine risu, humiliter cum gravitate, vel pauca verba, & rationabilia loquatur.* Quid enim aliud clamor, risus, & multiloquium denotant, quam intolerabilem mentis tumorem? Quid aliud denotant, quam cor compunctione, & contritione vacuum? Quid aliud denotant, quam animum status, & vocationis suæ immemorem, atque sub habitu Religioso sæcularem? O quantum ædificantur homines hujus sæculi, cum Monachum lenem, humilem, & parcum in verbis conspiciunt! quam bene de ipso, imo & de tota Religione sentiunt! imitare ergo SS. Patrem. Ecce! in adventu Regis Totilæ non nisi pauca, & salubria verba loquitur.

PUNCTUM SECUNDUM.

ALterum consistit in compositione corporis. Vult equidem SS. Pater, ut *non solum corde Monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet; ubicunque inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus.* Vult, ut *se custodiat a vitiis manuum*, ne eas hinc, inde indecore jactet, iis gesticuletur, sed sub scapulari intra manicas compositas retineat. Vult, *ut se custodiat a vitiis pedum*, ne sedens unum genu alteri

super-

ſuperimponat, aut gradiens nimis concitato, vel nimis lento greſſu incedat. Et merito. Impudentis animi ſignum eſt, fixo aſpectu aliquem intueri. Diſſoluti cordis indicium eſt, oculis jugiter vagari. David plane; quia incuſtoditus fuit in oculis, peccatum adulterii, & homicidii incurrit. Incompoſitæ quoque mentis præſagium eſt, ſi greſſus ſit feſtinatior, aut manus diſſolutior. Ex hujusmodi Juliani immodeſtia quanta mala univerſo orbi ex vero non præſagiit S. Baſilius? Et quanta ſcandala mundo non infert Religioſus immodeſtus? Paſſim male de ipſo, & de ordine ſentitur. Imitare ergo SS. Patrem tuum. Ecce! talem te cupit eſſe per Regulam ſuam, qualis ipſe fuit per vitam ſuam.

PUNCTUM TERTIUM.

Tertium conſiſtit in humili converſatione. Vult namque SS. Pater, ut *nulli liceat in appellatione nominum alium puro nomine appellare; ſed priores juniores ſuos Fratres; juniores autem priores ſuos Nonnos vocent.* Vult, ut *ubicunque ſibi obviant Fratres, junior a priore benedictionem petat.* Vult, ut *tranſeunte majore, minor ſurgat, & det ei locum ſedendi; nec præſumat junior conſedere, niſi præcipiat ei ſenior ſuus.* Superbiam, & intolerabilem plane proterviam redolet; quando Junior debitam reverentiam Seniori exhibere renuit. Caret humilitate, & Religioſa modeſtia, qui, quando Senior eſt, juniores paſ-

ſim

ſim contemnit. Ex his vero diſſolutio in loquela, in diſciplina, in omni Monaſterii ordine oritur. Charitas læditur. Obedientia contemnitur. Ædificatio unius ad alterutrum deficit. Et cum nimia familiaritas immodeſtia converſationis teneatur, contemptus ad invicem naſcitur: vel cum nimia gravitas ſuperbia vitæ cuſtodiatur, amor fraternitatis, ac confidentia ad invicem læditur. Aſcende ergo in cœlum, cujus converſatio eſſe debet in cœlis. Diſce ab Angelis modeſtiam, & cunctis eris mitis & humilis.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! modeſtiam oris obſervas? Sapiens verbis innoteſcit paucis. An obſervas modeſtiam corporis? Sapientum oculi in capite eorum; ſtultorum autem in fines terræ. An obſervas modeſtiam converſationis? Diſcite a me; quia mitis ſum, & humilis corde. Dole de tua immodeſtia. Propone

1. Modeſtiam oris,
2. Corporis,
3. Converſationis jugiter obſervare.

DIES XX.
IN FESTO S. BERNARDI ABBATIS.

De Zelo bono.

Eſt zelus bonus, qui ſeparat a vitiis, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Cap. 72, v. 2.

PUNCTUM PRIMUM.

INter omnes virtutes S. Bernardi eminet admirabilis in eo zelus bonus, de quo SS. Pater Noſter ait: *Eſt zelus bonus, qui ſeparat a vitiis, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam.* Habuit enim *zelum bonum, qui ſeparat a vitiis.* Quo enim zelo non efferbuit in carnem ſuam? Vix aliquando curioſius aſpiciendo defixos in mulierem oculos aliquamdiu tenuit, mox ſtagno aquarum gelidarum tamdiu ſe immerſit; donec omnis carnalis affectus in eo totus refriguit. Quo zelo non caſtigavit corpus ſuum? Videns non videbat. Audiens non audiebat. Guſtans non guſtabat. Sentiens, nihil ſentiebat. Ita totus abſorptus erat ad cœleſtia. Sic per integrum annum, quo fuit in domo Novitiorum ignoravit; an domus ipſa haberet teſtudinem. Sic ad cibum ſumendum, quaſi ad tormentum acceſſit. Sic vigilavit ultra naturæ poſſibilitatem; quia nullum ſe tempus magis perdere, quam ſomni conqueſtus eſt. Semper fuit infenſiſſimus hoſtis ſui corporis; & ideo vitia carnis omnia ſubjugavit. Quo zelo mundi inquinamenta fugit? Univerſas mundi vanitates, & fallacias contempſit, imo & dignitates Eccleſiaſticas reſpuit; ne vitiis ipſius vel a longe obnoxius foret. Zelo zelatus eſt in his SS. Pa-

trem

trem ſuum Benedictum. Omni fervore Spiritus ejus veſtigia ſecutus eſt. Et tu nunquam a vitiis ſecurus eris, niſi hunc zelum, *qui ſeparat a vitiis*, aſſumas. Vis vi repellitur.

PUNCTUM SECUNDUM.

SAnctus Bernardus habuit *zelum bonum, qui ducit ad Deum.* Quo namque zelo ad finem Regulæ, ſeu ad charitatem non contendit? Semper corpore cum infirmus eſſet, nihilominus remiſſionem de communi labore, vel opere nunquam admiſit. Alios quippe ſanctos eſſe arbitrabatur, & perfectos; ſe vero non perfectorum indulgentiis, ſed novitio fervore, & diſciplinæ rigore indigere putabat. Quo zelo ad perfectionem charitatis non cucurrit? Quotidie ſe ad novum fervorem hiſce exſtimulavit: Bernarde! ad quid veniſti? Quo zelo charitatem in omnibus non exercuit? Jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum, ſi ſe ſolitudo offerret, ea utebatur: ſin autem, ubicunque ſeu apud ſe, ſeu in turba eſſet, ſolitudinem cordis ipſe ſibi efficiebat, & ubique ſolus cum ſolo Deo erat. Zelo zelatus eſt SS. Patrem ſuum. Sequere & tu per exactam communis Regulæ obſervantiam, per novum fervorem, & per jugem orationem. Sic & non aliter finem S. Regulæ obtinebis. In meditatione exardeſcit ignis charitatis.

PUNCTUM TERTIUM.

SAnctus Bernardus habuit *zelum bonum, qui ducit ad vitam æternam.* Quo equidem zelo per viam crucis ad cœlum non perrexit? Summa patientia multas infirmitates toleravit. Quarum periculoſior quidem in meatu arctiſſimi gutturis, nil pœnitus ſiccum, vix ſolidum aliquid admittentis; moleſtior erat defectus ſtomachi, viſcerumque corruptio. Hæ continuæ illi, præter alias ſæpius incidentes. In iſtis maximo ei ſolatio fuit; quod levi, ac momentaneo dolore æternum gloriæ pondus promereri poſſet. Quo zelo per viam crucis ad cœlum non tetendit? Injurias, & calumnias admirabili patientia, atque manſuetudine ſupportavit, ut cum Chriſto per crucem ad gloriam tranſiret. Quo zelo cœlum non jugiter ſuſpiravit? Lege ipſum ad Arnaldum bonæ vallis Abbatem ſic ſcribentem: Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempeſtivum jam exitum non differat, ſed cuſtodiat. Sectatus eſt SS. Patrem ſuum. Ni & tu per patientiam, & juge deſiderium ad cœlum contendas, non intrabis. Oportuit enim Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! habes zelum, qui ſeparat a vitiis? Sine zelo nunquam ſuperabis vitium. An zelum habes, qui ducit ad Deum? Sine zelo, & fervore paulatim charitas

ritas refrigeſcit. An habes zelum, qui ducit ad vitam æternam? Deſiderium cœleſtis Patriæ præcedit fruitionem æternæ beatitudinis. Dole, quod hucusque zelum bonum non habueris. Propone cum S. Bernardo exercere zelum bonum

1. Qui ſeparat a vitiis, &
2. Qui ducit ad Deum, &
3. Qui ducit ad vitam æternam.

DIES XXI.

De Bona Conſuetudine.

Univerſa absque ullo labore velut naturaliter ex conſuetudine incipiet cuſtodire. Cap.7. v. 88.

PUNCTUM PRIMUM.

HIſce, *Ergo omnibus humilitatis gradibus aſcenſis, Monachus mox ad charitatem Dei perveniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem: per quam univerſa, quæ prius non ſine formidine obſervabat, absque ullo labore, velut naturaliter ex conſuetudine incipiet cuſtodire; non jam timore gehennæ, ſed amore Chriſti, & conſuetudine ipſa bona, & delectatione virtutum.* Hiſce, inquam, SS. P. N. vim, utilitatem, & modum acquirendæ conſuetudinis bonæ nobis proponit. Primo igitur ait: *Absque ullo labore velut naturaliter incipiet cuſtodire.* Tanta

vis consuetudinis est, ut ea, quæ sibi prius quis impossibilia arbitrabatur, nunc naturalia per multiplices virtutum actus fiant. Tanta vis consuetudinis est, ut ea quæ prius non nisi cum magna difficultate, & horrore laboris quis perfecit, nunc sine omni molestia, sicut quodcunque aliud opus naturale agat. Tanta vis consuetudinis est, ut nonnunquam etiam nolens ea faciat, quibus semel assuetus est. Quas enim malas animi passiones non supprimat consuetudo? Quænam virtus non assiduitate obtineatur? Quodnam exercitium Regulare non usu perficiatur? Quænam austeritas disciplinæ usu, & consuetudine non dulcescat? Primitus enim importabile tibi videbitur Regulæ jugum. Processu temporis, si assuescas, judicabis non adeo grave. Paulo post & leve senties. Demum non solum non senties, sed etiam te delectabit. Cur igitur non in principio aliquam vim tibi inferas, ut vi consuetudinis bonæ delectationem virtutum acquiras? Nulla delectatio dulcior, & diuturnior est, quam virtutis.

PUNCTUM SECUNDUM.

SEcundo ait: *Non jam timore gehennæ, sed amore Christi, & delectatione virtutum incipiet custodire.* Consuetudo bona equidem magnam parit delectationem virtutum, ut delectationes carnis horrori sint, ac nauseæ. Consuetudo bona deducit ad amorem Christi; ut amplius non timeat gehennam; quia ex ipso

ipso usu virtutis peccare desiit. Consuetudo bona cor ad divinas illuminationes, & affectiones supernaturales sensibile & penetrabile reddit. Consuetudo bona ad ferventiores & sublimiores actus virtutum trahit. Consuetudo bona ita obligat mentem, ut suo modo non possit deficere a rectitudine virtutis. Tentatur ad illicita; sed mox ipsa assueta virtus sine difficultate omnia tentamenta abjicit. Imo eo frequentius, & facilius exercetur, quo crebrius quasi ab extrinseco tantum infestatur. Ipsa quippe delectatio consuetudinis bonæ etiam insensibiliter ad virtutem trahit. Cur igitur non ad has bonæ consuetudinis utilitates obtinendas omni contentione allabores? Ecce! peccata, quamvis magna, & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva esse, aut nulla creduntur. Ecce! usitata culpa ita cor obdurat, ut semetipsum amplius non sentiat, nec exhorreat. Et si quando conatur assurgere, mox labitur: quia ubi diu sponte perstitit, & ibi cum noluerit, quasi coacta cedit. Ecce! tenent pravæ consuetudines, quem semel ceperunt, atque quotidie duriores existunt: & non nisi cum peccatoris vita finiuntur. Et tu loco malæ, bonam consuetudinem tibi non facias?

PUNCTUM TERTIUM.

Tertio ait: *Omnibus humilitatis gradibus ascensis, Monachus mox ad charitatem perveniet illam, quæ foras mittit timorem.* Uno,

aut altero actu conſuetudo bona non acquiritur. Quo conſuetudo mala fuit diuturnior, eo longius erit per frequentatos actus conſuetudo bona recuperanda. Hinc primitus timore gehennæ ceſſandum a vitioſa conſuetudine; ex conſideratione namque pœnarum horror peccati inducendus eſt. Deinde per concupiſcentiam Patriæ cœleſtis amor virtutis acquiritur; ut frequenter eandem quamvis difficulter exerceamus. Et quoniam inolita malitiæ conſuetudo adhuc ſemper ad malum nos tentat, neceſſe eſt a Patre ſpirituali tamdiu remedia virtutis expetere, donec conſuetudine ipſa bona penitus extirpetur. Quod revera eo citius fiet, quo diligentior, & conſtantior eris in virtutum exercitio. Et cur non omni perſeverantia diligentiæ virtutis conſuetudinem obtinere ſatagas? Per hanc *ad charitatem pervenies illam quæ foras mittit timorem.* Ah! ne mireris, quod SS. Pater tuus ſemper in oculis ſuperni Inſpectoris potuerit habitare ſecum. Conſuetudine bona jugem contemplationem, & amorem Dei præſentis obtinuit. Mirarer ego, quod tu eandem gratiam non haberes, niſi negligentiam tuam in acquirenda bona conſuetudine ſcirem. Sed quamdiu anguſtiaberis? Maxima nonne anguſtia eſt, a mala conſuetudine exurgere velle, nec exurgere; deſiderio ad ſuperna tendere, ſed adhuc actu in infimis hærere; præire corde, nec ſequi opere; a ſemetipſo contradictionem pati?

PUN-

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! perpendis vim bonæ consuetudinis? Est quasi altera natura. An consideras utilitates bonæ consuetudinis? Ducit ad perfectam charitatem. An per frequentatos actus bonam consuetudinem tibi facis? Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Dole, quod ad obtinendam bonam consuetudinem tam negligens fueris. Propone in hunc finem

1. Sæpius perpendere vim consuetudinis bonæ, &

2. Ejus utilitates; atque ideo

3. Ad eam obtinendam per frequentatos actus continuo incumbere.

DIES XXII.

De Modis procurandi Attentionem in SS. Psalmodia.

Surgamus ad confitendum ei. Cap. 16. v. 8.

PUNCTUM PRIMUM.

FElix eris, si in Psalmodia attentus fueris. Immensam quippe suavitatem, pacisque gratiam, quam in se continet, percipere mereberis. Hinc SS. P. N. serio hortatur, ut non solum corpore sed & mente jugiter *surgamus ad confitendum ei*. At hanc vero attentionem obtinendam cupit, ut ante

Pſalmodiam nos recolligamus, atque myſterii illius, in cujus honorem hora illa pſallimus, memores ſimus. Ait enim *Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ Completoriique tempore noſtræ ſervitutis officia perſolvamus.* Qualem ergo exigit cum SS. PP. recollectionem ante Matutinum? Ut memor ſis, quomodo Dominus noſter JEſus Chriſtus natus de Virgine dignatus eſt ſuſcipere incrementa humanæ infantiæ; quatenus ex hujus exemplo in gratia, & ſapientia coram Deo, & hominibus proficere ſtudeas. Qualem exigit ante Primam? Ut memor ſis, quomodo Evangelicus Paterfamilias conducat operarios ſuos in vineam ſuam; quatenus per præviam orationem te ad laborem viriliter accingas. Qualem exigit ante Tertiam? Ut memor ſis quomodo Spiritus ſanctus ſuper orantes Diſcipulos deſcenderit; quatenus eundem, ut & in te deſcendat, enixe exores. Qualem ante Sextam? Ut memor ſis, quomodo Dominus noſter JEſus Chriſtus hora ſexta immolatus eſt Patri hoſtia immaculata pro peccatis noſtris; quatenus & tu, quod paſſionibus ejus deeſt, in temetipſo ſuppleas. Qualem ante Nonam? Ut memor ſis, quomodo JEſus deſcenderit ad inferos; quatenus & teipſum infra omnes humilies. Qualem ante Veſperas? Ut memor ſis, quomodo JEſus captivitatem Sanctorum transvexit ad cœlum? quatenus & tu omni concupiſcentia ſpirituali vitam æternam concupiſcas. Qualem ante Completorium? Ut me-

memor ſis, quomodo Evangelicus Paterfamilias denarium ſingulis operariis ſuis pro mercede largiatur; quatenus Divinam remunerationem jugiter ante oculos tibi ponas. O me miſerum, quod iſtam recollectionem ante horas neglexerim, cum tamen SS. P. ex hoc motivo voluerit me a labore ad primum ſignum ſeparari! ſane non ita diſtractus fuiſſem in ipſis horis. Talis enim quis erit in oratione, qualis fuit ante orationem.

PUNCTUM SECUNDUM.

NOn audit Deus illum, qui ſeipſum non audit. Hinc SS. P. N. quatenus nos intra horas attentos conſervaret, primo præſcribit; ut *præmittatur inprimis verſus Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina.* Quis enim Dominum Deum præſentem cogitet, atque ad adjutorium noſtrum paratum, quin non humili hac oratione Divinam gratiam in conſpectu Dei & SS. Angelorum pſallendi impetrat? Secundo præſcribit; ut *ad Gloria mox omnes ſurgant ob honorem, & reverentiam ſanctæ Trinitatis.* Quis namque reverentiam ad gloriam, quod in fine cujuslibet Pſalmi cantatur, SS. Trinitati exhibeat; quin non inde ad novam attentionem, & fervorem ſequentium Pſalmorum accendatur? Tertio præſcribit, ut *in matutinis legantur Lectiones tam veteris Teſtamenti, quam novi Divinæ Authoritatis; ſed & expoſitiones earum, quæ a nominatiſſimis, Docto-*

cto-

ctoribus orthodoxis, & catholicis Patribus factæ sunt: Ut *Abbas legat Lectionem de Evangelio cum honore & tremore stantibus omnibus.* Ut *in quavis hora Lectio una recitetur.* Quis equidem finem harum Lectionum, scilicet fructum emendationis, aut profectus observet, quin non ad singula verba attentus sit? Quarto præscribit, ut *ultimo recitetur oratio.* Quis etenim agnoscat certum Christi promissum de exauditione precum nostrarum, & propriam, atque Ecclesiæ totius indigentiam; quin non omni attentione, ac confidentia in singulis horis suas petitiones Domino Deo proponat? O me negligentem, qui istos modos attendendi ex S. Regula non didici, cum tamen SS. P. plura capita in iis docendis insumat? Plane non ita distractus sine fructu Psalmos decantassem. Necesse est, ut mens diutius evagetur, nisi certa loca habeat, in quibus ad se redeat.

PUNCTUM TERTIUM.

NE in attentione deficias, sive ob somnolentiam, sive ob teporem, sive ob longitudinem Divini Officii, SS. P. Exemplum antiquorum Monachorum tibi proponit: *Omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada Psalterium ex integro numero centum quinquaginta Psalmorum psallatur: Quia nimis iners devotionis suæ servitium ostendunt Monachi, qui minus a Psalterio cum Canticis consuetudinariis per Septimanæ circulum psallunt: cum legamus*

gamus ſanctos Patres uno die hoc ſtrenue impleſſe, quod nos tepidi utinam ſeptimana integra perſolvamus. Alii equidem talem numerum Pſalmorum quotidie decantabant, utmenſuram fragilitatis humanæ exceſſerint. Alii ſtatis quidem horis paucos Pſalmos canebant; at inter laborandum a meditatione Pſalmorum non vacabant. Alii ita Pſalmodiæ aſſuefacti ſunt, ut Pſalmos quoque ſomniarent. Omnes autem tanto fervore, attentione, & reverentia in conſpectu Dei, & SS Angelorum pſallebant, ut graviſſimum crimen ſe commiſiſſe crederent, ſi vel per unam cogitationem diſtracti fuiſſent. O ſi hæc vivida SS. Patrum exempla ſecutus fuiſſem, nunquam ſane me attentio gravaſſet! gratia S. Spiritus animæ attentæ ſe infundit, ut a pſallendo vix ceſſare poſſit.

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religioſe! ante quamvis horam te per meditationem Myſterii breviter ad attentionem recolligis? Ante orationem præpara animam tuam, ne ſis ſicut homo tentans Deum. An dictis locis in Pſalmodia te recolligis ad attentionem? Deus peccatores non audit. An exemplo SS. Patrum tædium attentionis ſuperas? S. Iſidorus die, ac nocte ſine intermiſſione pſallebat. Dole, quod tam parum curaveris attendere. Propone.

1. Ante quamvis horam per meditationem ejus myſterii, &

2. In quavis hora per dicta loca, nec non
3. Per exempla SS. PP. ad attentionem te recolligere.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

DIES XXIII.

De Obedientia erga Superiorem Juniorem.

Decani non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Cap. 21. v. 4.

PUNCTUM PRIMUM.

SÆpe obedientia negligitur; quia qui præest, Junior est. At huic malo medetur illud SS. P. N. Benedicti: *Decani non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam.* Provenit iste SS. Obedientiæ neglectus ex superbia, ex ambitione, ex invidia. Vincitur vero per humilitatem, contemptum terreni honoris, & charitatem. Ut ergo in humilitate libenter obedias; cogita, quia etsi Junior sit, qui præest, tamen *vitæ merito, & sapientiæ doctrina* te præstat, atque canitie sensuum Senior, & venerabilior extat. Nisi enim quemvis ex animo quoad *vitæ meritum*, *& sapientiæ doctrinam* tibi præponas, humilis non es. Cogita; quia, qui præest, onus gravissimum in se suscipit, quod vix Angelis portabile est, & revera indignum te ad istud senties. Cogita; quia si Juniori non æque ac Seniori obedire paratus sis,

ſis, meritoriam obedientiam non habes. Vera equidem, ac meritoria obedientia Deum in Superiore, & non hominem reſpicit. Cogita; quia Filius Dei incarnatus hominibus factus eſt obediens usque ad mortem. Cogita; quia SS. P. N. *ob vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam* Juvenes illos S. Maurum, & Placidum cæteris præfecit. Pudeat te non obedire ultimo ex Congregatione; quando per tot annos nondum didiciſti *omnium infimum ex toto cordis affectu te credere.*

PUNCTUM SECUNDUM.

UT cum contemptu omnis terreni honoris libenter, ac prompte Juniori Superiori obedias; conſidera, quod Superior talis eſſe debeat, *in quo ſecurus Abbas partiatur onera ſua.* Et quæ onera? Utique *de quibus ipſe redditurus eſt rationem Deo.* Quomodo igitur ad iſtorum onera aſpirabis, quibus erit judicium duriſſimum; quia præſunt? Etenim ſi ſancti Ordinis noſtri hac de cauſa omnem præſidentiam vel fugerunt, vel abdicarunt, vel non niſi per obedientiam coacti ſuſceperunt; quomodo tu, qui de anima tua reddere rationem non potes, aliquam præſidentiam affectabis? An ignoras; quia Deo præire geſtit, qui vel uni præeſſe deſiderat? An neſcis; quia omnis ambitio, Diaboli negotium eſt? An te latet; quia major eſt, qui miniſtrat? O perverſitas! o abuſio Religioſorum hujus temporis! ſolemni Profeſſione abjectionem, & ſubjectionem profeſſi

feſſi ſunt; & paulo poſt profeſſionem eos honores, quos nec in ſæculo ſperare potuiſſent, omni contentione inſequuntur. Semper parati ad honores ipſis etiam Angelis formidandos. Time ſi vel ultimum ex Congregatione tibi præeſſe non deſideras. Quia ſi cum Lucifero te exaltas, nunquam amplius invenietur locus tuus in cœlo. Ubi deinde?

PUNCTUM TERTIUM.

UT Superioribus Junioribus libenter, prompte, atque hilariter obedias, penſa, quod *electi, ſint Fratres boni teſtimonii, & ſanctæ converſationis, qui ſolicitudinem gerunt ſuper Decanias ſuas in omnibus ſecundum mandata Dei, & præcepta Abbatis ſui.* Quis enim non libenter ſubſit; ſi gaudeat de alterius promotione? Quis non prompte obediat; ſi lætetur de bona converſatione Superioris ſui? Quis non hilariter ſe ſubjiciat, ſi ſanctum reputet Superiorem, eique intime *de vitæ merito, & ſapientiæ doctrina* congratuletur? Ne dicas: Imo ſi talis eſſet, libenter & ego obedirem. Unde ſcis, quod talis non ſit? Contra præceptum SS. Patris tui *feſtucam vides in oculo Fratris tui.* Si ſolum cum SS. illis antiquis Monachis virtutes Superioris attenderes, ac de ipſis gauderes; & cum eis Superiorem tuum ſanctum crederes, hilariterque illi obedires. Erubeſce, ſi vel ultimo ex congregatione obedire tardas; quia per tot annos charitatem, quæ de alterius

vitæ

vitæ merito, ut de ſuo gaudet, nundum aſſecutus es.

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religioſe! Superiori etiam Juniori obedire paratus es? Humilis abjectionem ubique quærit. An Superiori Juniori obedire paratus es? Contemptor mundi honores fugit. An Superiori Juniori obedire paratus es? Amator Fratrum de alieno bono, ut de ſuo gaudet. Dole, quod per tot annos S. Profeſſionis tuæ nondum perfecte te ſubjicere ſtudueris. Propone

1. Ex humilitate,
2. Ex contemptu honoris,
3. Ex charitate etiam Superiori Juniori obedire.

DIES XXIV.

PRO FESTO S. BARTHOLOMÆI AP.

De Prudenti Simplicitate.

Curioſe intendat, ſi revera Deum quærit. Cap. 58. v. 8.

PUNCTUM PRIMUM.

CReditur S. Bartholomæus fuiſſe ille Nathanael, cui Salvator iſtud elogium dedit. Ecce verus Iſraelita, in quo dolus non eſt. Et quia ſimplex, & rectus coram

Deo incedebat, promeruit in numerum Apostolorum cooptari. Nec SS. Pater alium ad Ordinem suum suscipit, nisi simplicem. Hinc præcipit Novitiorrm Magistro, ut *curiose intendat, si revera Deum quærit.* In hoc namque primo consistit simplicitas, ut Deum in omni opere revera quæramus. Ipsemet Sponsus præ omnibus aliis prærogativis in Sponsa sua laudat simplicitatem. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra! oculi tui columbarum. Et bene ab oculis orditur; nam si oculus intentionis simplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Si revera Deum in omni actu quæris, totum conversationis tuæ corpus simplicitas intentionis serenabit. Si solum ex parte Deum quæris, & ex parte teipsum; jam habet admixtam aliquam partem tenebrarum. Si denique ex toto teipsum, tuum commodum, tuum honorem quæris, totum tenebrosum est. Ex simplicitate ergo actionis, qua Deum quæris, judica; an Sponso cœlesti placeas, vel displiceas.

PUNCTUM SECUNDUM.

SEcundo consistit simplicitas in eo, ut *revera Deum quærat* in obedientia ergo Superiores, & in charitate erga Proximos. Si enim mandata Superiorum discutis, simplex non es. Si imperia Superiorum judicas, simplex non es. Si non ad instar parvuli Superioribus in omnibus credis, simplex non es. In astu cordis, & non in auditu auris obedis. Si Confratres tuos

non

non ſincere, & ex corde diligis unice propter Deum; ſimplex non es. Si eorum vitam diſcutis, aut dijudicas, ſimplex non es. Si de bono Fratrum tuorum male ſuſpicaris, aut ipſa mala, quantum potes, in meliorem partem non interpretaris, ſimplex non es. Non es verus Iſraëlita, in quo dolus non eſt. Quomodo autem te amicam Sponſi, o anima Religioſa! jactabis, quæ neſcis oculos habere columbæ? Quomodo amica Sponſi eris, quæ pulchra non es? Imo quomodo non inimica eris, quæ malignaris in ſancto? Malignaris enim in bono obedientiæ, & in bono charitatis. Sane oculi tui non ſunt Columbinæ ſimplicitatis; ſed Milvinæ duplicitatis.

PUNCTUM TERTIUM.

Tertio conſiſtit ſimplicitas in eo, ut *revera Deum quærat* ſecundum S. Vocationem ſuam. Quidquid enim ages extra vocationem tuam, ſimplex non eſt. Quidquid ſupra, vel infra vocationem tuam facis, ſimplex non eſt. Quidquid juxta vocationem tuam facis, hoc unum ſimplex eſt. Unum Deo placet. Amat quippe Deus ſimplicitatem; quia natura Divinitatis ſuæ ſimplex eſt. Quid ergo turbaris erga plurima? Porro unum eſt neceſſarium. Hoc unum, ut vocationem tuam adimpleas, a te exigit Deus. Sic & non aliter pulchra erit anima tua in conſpectu Sponſi. Sic & non aliter amica erit Sponſi. Sic & non aliter oculi tui erunt columbarum. En! ſolum vocationi ſuæ intendit SS. Bartholomæus. Vocatus

est ad Apostolatum; munia Apostoli duntaxat peregit. Vocatus est ad Martyrium; patientiam, & fortitudinem, munia videlicet Martyris perfecit; dum se sine contradictione palo alligari, & excoriari permisit. Et quantum hac simplicitate non placuit? gloria & Apostoli, & Martyris Sponsus cœlestis eum circumdedit. Sequere simplicitatem illius, & te ad gloriam suam invitabit. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, veni, & accipe coronam.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! simplex es erga Deum? Estote simplices sicut columbæ. An simplex es erga Superiores, & Proximos? Sitis sine querela, & simplices Filii Dei sine reprehensione. An simplex es in vocatione tua? Qui ambulat simpliciter, salvus erit. Dole, quod simplicitatem Religiosam hucusque aversatus fueris. Propone simplex esse

1. Erga Deum,
2. Erga Superiores, & Proximos,
3. In vocatione tua.

DIES XXV.

Quod non plus loquendum, quam expedit.

Ne videatur plus loqui, quam expedit. Cap. 6. v. 7.

PUN-

PUNCTUM PRIMUM.

AUrea plane eſt hæc Regula SS. P. N., *ne videatur plus loqui, quam expedit.* Et ſi ſervaretur, o quam proficua foret Superioribus, Officialibus, & cæteris Religioſis. Superioribus quidem. Etenim cum tota ſubinde die nunc petendo licentiam, nunc conſulendo &c. inquietentur; vix illum momentum ipſis pro neceſſaria recollectione ſupererit, ſi ſuperfluis diſcurſibus vacare voluerint. Neceſſe eſt, ut Spiritus devotionis, & compunctionis in ipſis evaporet; dum operculum oris ſemper patet. Ita aqua quamvis calidiſſima ſine operculo tandem frigeſcit. Et quem fructum deinde talis referet Superior? Erit velut æs ſonans, & cimbalum tinninens. Cum ſonitu admonitio, aut correctio evaneſcet. Semen eſt verbum Dei; ſi ordinate profertur, prolem rectæ cogitationis edit. Si per multiloquium vitiatur, ad immunditiam ſolùm audientium tranſit. Quomodo tot obligationibus ſuis quoad curam animarum ſatisfaciet? Niſi ipſe prior totus ignitus ſit, nullos ad fervorem diſciplinæ accendet. Atqui fervor obtinetur in ſolitudine. Ibi ſolitarius levabit ſe ſuper ſe. Ibi loquetur ei Dominus ad cor, quid ad ſalutem ſuam, & ſubditorum illi conducat. Ergo *ne plus loquere, quam expedit*; quam neceſſarium eſt ad honorem Dei, ad ſalutem petentis, conſulentis &c. Reddes enim rationem Domino de omni verbo otioſo. Reddes rationem Domino, ſi quid minus utilitatis Pater-

familias in concredito grege invenerit. Reddes rationem, si non morbidis ejus ovibus omnem curam adhibueris.

PUNCTUM SECUNDUM.

Ista Regula, *ne videatur plus loqui, quam expedit*, proficua, imo necessaria est Officialibus. Etenim si superfluas locutiones passim miscere voluerint; quænam horæ aut administrationi officii sui, aut spiritualibus exercitiis remanebunt? Nec voluntati Abbatis satisfacient, nec animam suam custodient. A statu vocationis suæ depereunt; dum per superflua verba dilabuntur. Humana etenim mens aquæ more & circumclusa ad superiora colligitur; quia illud repetit, unde descendit, & relaxata deperit; quia se per infima inutiliter spargit. Et qui murum silentii non habet, ejus civitas mentis patet inimici jaculis. Cum equidem se per verba extra semetipsum ejicit, apertam se adversario ostendit. Quam tanto ille sine labore superat, quanto & ipsa, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. Ergo *non plus loquere quam expedit*. Reddes rationem Deo de omni verbo otioso, quod locutus fueris. Reddes rationem de neglectis obligationibus officii tui. Reddes rationem præ omnibus de neglecta custodia animæ tuæ.

PUNCTUM TERTIUM.

Ista Regula, *ne plus videatur loqui, quam expedit*, proficua est cuivis Religioso. Etenim

si vel

ſi vel apud Superiorem petendo licentiam, conſulendo &c. vel apud Patrem ſpiritualem manifeſtando interiora ſua &c. vel apud alium Confratrem neceſſaria interrogando &c. ad ſuperfluos diſcurſus dilabi velit, quot horas otioſis fabulis teret? Quam ſpecioſis hiſce prætextibus ſacrum ſilentium franget? Quam egregie ſuæ loquacitati, acediæ, & tepori ſatisfaciet? Nonne ex illis Fratribus unus eſt, *qui vacat fabulis, & non ſolum ſibi inutilis eſt, ſed etiam alios extollit.* At quantas gratias perdit? Dum ſilentium oris non cuſtodit, mentem ad cœleſtia deſideria elevare non poteſt. Quod vitia incurrit? Semper magis vagus, & inſtabilis redditur, ut in cella ſolus nec per diem conſiſtere queat. Deſipit ei lectio, & oratio. Labor leviſſimus eum ſupra vires gravat. Hinc vel otioſitate, quæ eſt inimica animæ, torpet, vel per multiloquium in varia incidit crimina. Ergo *non plus loquere, quam expedit.* Reddes rationem de omni verbo otioſo, quod locutus fueris. Reddes rationem de quovis momento, per otium deperdito. Reddes rationem, & quidem graviſſimam de ſcandalo, per multiloquium dato.

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religioſe Superior! plus loqueris, quam expedit? Vir immundus es; quia ſemen verbi Dei ad immunditiam effundis. S. Greg. An, o Religioſe Officialis! plus loqueris, quam expedit? Si quis putat ſe Religioſum

ligiosum esse, non refrænas linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est Religio. Jac. 1. An o Religiose! non plus loqueris, quam expedit? Plus est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. S. Greg. Dolo, quod hanc auream SS. P. Regulam non secutus fueris. Propone

1. Si Superior,
2. Si Officialis, aut
3. Si simplex Religiosus es, non plus loqui, quam expedit.

DIES XXVI.

De vitando Otio.

Otiositas est inimica animæ. Cap. 48. v. 1.

PUNCTUM PRIMUM.

Quantus osor otiositatis fuerit SS. P. N. Benedictus, patet ex eo, quod ipsemet cum Fratribus ad agrorum labores exierit. Unde & suis sequacibus, ut odium ejusdem instillaret, ait: *Otiositas est inimica animæ.* Quare? Quia tentationes ferre non potest. Antiquus namque hostis mox ut otiosum aliquem invenerit, ad eum sub quibusdam rationibns locuturus occulte venit. Quædam ei sæpe de gestis præteritis ad memoriam reducit. Audita quondam verba indecenter cogitationi resonat. Si qua turpiter jam dudum acta sunt, eorum species oculis apponit, ut quem

de

de præſentibus non valet inquinare, de malis transactis violet. Et decepta mens ſæpe inde delectationem reparat, unde diu jam ſe per pœnitentiam afflixit. Merito dein cum Pſalmiſta dicit: Computruerunt, & deterioratæ ſunt cicatrices meæ a facie inſipientiæ meæ. Cicatrix quippe figura eſt vulneris, ſed ſanati. Cicatrix ergo ad putredinem redit, quando peccati vulnus, quod jam per pœnitentiam ſanatum eſt, in delectatione ſui animum concutit. Sæpe quoque quæ nunquam fecimus, per callidi hoſtis inſidias cordis oculis otioſi videmus. Cumque ſenſibiliter in hoc delectatio ſurripit, quamvis jam plangat, quæ fecerat; tædet tamen infelicem animum quædam non feciſſe, quæ plangat. Et quanto ſecurius ab externis actionibus ceſſat, tanto latius immundæ ſe cogitationes per otium ingerunt. Cumque laborem, quo animum ab eis avertat, non habeat, libens illis immoratur, ac immorando perit. Sic verum eſt, quod otioſus a multis dæmonibus; operans vero ab uno vexetur.

PUNCTUM SECUNDUM.

OTioſitas eſt inimica animæ; quia ad omnia vitia maximæ impudicitiæ perducit. Qui enim in otio degunt, quidnam non loquuntur? Quid abſurdi non auſcultant? Otium, Dei metu ſi careat, præceptor vitiorum iis eſt, qui tempore ſibi indulto, non norunt uti. Ab eo quippe, quod nihil habent, quo occupentur, oritur peccatum. Sicut ter-

ra non occupata ſemente, aut conſitione quamlibet herbam producit; ita anima, cum ceſſat occupari in bono, pravis actionibus ſemet tradit. Anima otioſa eſſe non poteſt. Aut bene, aut male operatur. Et quia laborando carnem non caſtigat, opera carnis perficit. Unde David ad momentum tantum otioſus lapſus eſt in adulterium. Et Euphrania, de qua in vitis Patrum legitur à tentatione carnis quam otioſæ Dæmon ſuggeſſerat, aliter niſi per continuum laborem, orationem, ac lectionem liberari non potuit. Et tu a peccatis ſecurus non eris, quamdiu otioſitatem amaveris.

PUNCTUM TERTIUM.

OTioſitas eſt inimica animæ; quia perdit mercedem laboris. Paterfamilias ſemper vocat operarios in vineam ſuam. Qui renuunt laborare, mercedem non acquirent. Laborantibus, non otioſis merces cœleſtis gloriæ promiſſa eſt. Adam poſitus eſt in Paradyſo, ut operaretur eum; & nos poſiti ſumus ſuper juſtitiam colendam. Si neglexerimus, projiciemur de ea, ſicut & Judæi projecti ſunt. Mercenarius poſitus in vinea, ſi neglexerit eam, non ſolum nullam mercedem habebit; ſed etiam deſertæ vineæ exigetur ab eo damnum. Et nos ſi neglexerimus juſtitiam nobis commiſſam diu, noctuque operari, non ſolum nullam habebimus mercedem, ſed etiam diſſipatæ juſtitiæ dabimus rationem. Si ergo ille non eſt impunis in die Judicii, qui otioſus ſte-

ſtit

tit in foro, & nullam justitiam operatus est, quid fiet illi in die Judicii, qui peccavit, & mnam suam perdidit? Tu labora, ut salvus fias. Aliud medium non est. Sic sancto Antonio inter tentationes ad Dominum clamanti: Domine volo salvus fieri, & non permittunt me cogitationes meæ; Angelus apparuit; sedit, atque plectam de palmis fecit. Deinde ad orationem surrexit. Post orationem rursus sedit, & operatus est. Peracto iterum opere denuo precatus est. Demum ait: Sic fac, & salvus eris.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! otiositatem fugis, ne in tentationes incidas? Cum dormirent homines venit inimicus. An otiositatem fugis, ne pecces? Hæc fuit iniquitas Sodomæ, & origo excidii ejus? Superbia, saturitas panis, abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus. An otiositatem fugis, ne perdas mercedem laboris? Servus piger, & inutilis, qui noluit laborare cum talento sibi commisso, ejicitur in tenebras exteriores. Dole, quod & tu per multum tempus otio vacaveris cum detrimento animæ tuæ. Propone sedulo omnem vitare otiositatem,

1. Ut laborando tentationes vincas,
2. Ut laborando peccata evites,
3. Ut laborando gloriam cœlestem acquiras.

DIES

DIES XXVII.

De vitanda Contumacia.

Si Frater contumax repertus fuerit, admoneatur ſemel, & ſecundo ſecrete; objurgetur publice coram omnibus; excommunicationi ſubjaceat. Cap. 23.

PUNCTUM PRIMUM.

SUmme SS. Pater Noſter contumaciam averſatur; unde præcipit Cap. 33. per totum: *Si quis Frater contumax repertus fuerit, admoneatur ſemel, & ſecundo ſecrete; ſi non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus; ſi vero nec ſic correxerit, excommunicationi ſubjaceat.* Porro contumacia oritur ex proprio judicio; unde quis ſuum judicium alieno ſubjicere recuſat. Oritur ex voluntate propria; unde quis alterius voluntatem ſequi detrectat. Oritur ex ſuperbia; unde quis ſe humiliare neſcit. Pro! quantam cæcitatem non cauſat iſta contumacia? Nulla ratione, nulla adhortatione, nulla correctione frangitur. Imo quo magis ad obedientiam compellitur, eo magis obdurat cervicem ſuam. Pharao exemplum eſto. Nec Divinis Monitis, nec prodigiis, & portentis nec plagis adduci potuit, ut Dei juſſioni ad dimittendum populum Iſraëliticum conſentiret. O Religioſe! favillam in cinere extingue. Contumaciam in ortu frange. Radices exſcinde.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

NOn ſubito ad contumaciam pervenitur; habet ſuos gradus. Patet hoc ex verbis SS. Patris: *Si quis Frater contumax repertus fuerit, admoneatur ſemel, & ſecundo ſecrete; objurgetur publice coram omnibus.* Quot enim ſunt gradus correctionis, tot ſunt contumaciæ. Primo enim quis ſimpliciter inobediens eſt. Secundo adhibitas juxta Regulam correctiones ſpernit. Tertio caſtigantem Superiorem contemnit. Hoc gradus denotat SS. P.; dum ait: *Si inobediens, contrarius exiſtens ſanctæ Regulæ, & Seniorum ſuorum contemptor repertus fuerit.* Per primum autem gradum admittit gratiam Dei. Ubi enim obedientia, ibi gratia. Ubi inobedientia, ibi peccatum. Per alterum ſcandalizat Confratres. Nihil quippe male contentos ad inobedientiam ſic allicit, quam pravum exemplum. Per tertium contriſtat Superiores. Deum namque, & non ſe ſperni dum cernunt, merito lugent. O Religioſe! time, vel primum gradum aſcendere. Unum peccatum poſt ſe aliud trahit; donec peccator in profundum veniens peccatorum contemnat.

PUNCTUM TERTIUM.

FInis demum contumaciæ eſt improbitas, quam SS. Pater hiſce indicat: *Si autem improbus eſt, vindictæ corporali ſubdatur.* Improbus enim dicitur, qui obſtinate in peccato ſuo perſeverat. Dæmones imitantur, qui

tales

tales ſunt. Nam & hi nunquam ſuper propria iniquitate dolent. Nunquam ſuper propria damnatione compunguntur. Hinc ſemper luunt; & quo plus luunt, eo obſtinatiores fiunt in peccato. Ita tumidi hi colles cum Dæmonibus incurvantur ab itineribus felicis æternitatis. Per anfractus ſuos, & diſtorta non tam itinera, quam præcipitia contumaciæ in infernum corruunt. *Prævalens enim erit talibus inobedientibus ipſa mors.* O Religioſe! merito a nullo vitio ſic abhorrebis, quam ab obſtinatione. Omnia alia cordis compunctione ſanantur. Hoc unum medicum, & medicinam reſpuit. Inſanabile eſt.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! cauſas contumaciæ tollis? Nunquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande, ut prævaricemur in Deo noſtro. An primum gradum contumaciæ aſcendere vereris? Qui autem verba ejus, quæ loquitur in nomine meo, audire noluerit. Ego ultor exiſtam. An times finem contumaciæ? Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël. Dole, quod huc uſque non ſtudioſius contumaciam præcaveris. Propone

1. Contumaciæ cauſas extirpare.
2. Nec primum ejus gradum conſcendere, ſed ſemper
3. Ab illius fine abhorrere.

DIES

DIES XXVIII.

De Lectore Hebdomadario.

Lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Cap. 38. v. 3.

PUNCTUM PRIMUM.

TRia SS. Pater noster a Lectore mensæ requirit. Primum est pura intentio honoris Dei. Jubet enim; *lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post Missas, & Communionem petat ab omnibus pro se orari, ut avertat ab ipso Deus spiritum elationis: & dicatur hic versus in oratorio tertio ab omnibus, ipso tamen incipiente: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Sine merito legit, qui suam, non Authoris quærit gloriam. Proprium tamen elatis est, ut ex ipso modo legendi se supra alios efferant. Non patiuntur se corrigi. Si quem errorem commiserunt, lectionem repetere erubescunt. Ita miseri, dum alios per S. Doctrinam sanant, seipsos per superbiam vulnerant. Humilitas magistra virtutum est. Hæc si deficit, inaniter clamat, qui prædicat. Vera intentio honoris Dei corda solummodo accendit. Qui hoc igne non ardet, quomodo corda aliorum accendet? Ex hix collige, quam ferventer die Dominica pro avertendo spiritu elationit orare debe-

as?

as: qua puritate intentionis legere te oporteat. Cave, ne te SS. Pater a ministerio lectionis, ut olim illum Monachum a ministerio lucernæ, propter elationem removeat.

PUNCTUM SECUNDUM.

ALterum est bene legendi solicitudo. Hinc ait: *Nec fortuito casu, qui arripuerit codicem, legere audiat ibi.* Item. *Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent, sed qui ædificent audientes.* Etenim si Lector verba non scite pronunciet, aut omittat, nonne fastidium pariet audientibus? Si varios in Lectione errores committat, nonne tædium, aut risum movebit auditoribus? Si nimis properanter legat, nonne fructum apud audientes tollet? Pro! quanta inde detrimenta Spiritus sequuntur? Frangitur silentium. Datur *occasio de ipsa lectione, aut aliunde quidquam requirere.* Datur ansa per varias, & inutiles cogitationes evagandi. Sæpe tunc, ubi interior homo verbo Dei quoque pasci deberet, solum exterior ob nauseam legentis reficitur. Et quia animus non delectatur cibo spiritali; delicias in corporali amplectitur. Ex istis conclude, qua solicitudine ad mensam legere debeas. Enimvero vel merito, vel transgressionibus, vel præmio, vel pœnæ audientium pro qualitate lectionis tuæ communicabis.

PUNCTUM TERTIUM.

TErtium est lectio ædificatoria. Unde asserit: *Ædificent audientes.* Quid enim proderit, re-

rectam legendi habere intentionem, ac ſolicitudinem, niſi ea legerit, quæ ædificent? Sane vana, curioſa, ſæcularia potius deſtructioni ſerviunt, quam ædificationi. Si namque *referre, quæ foris viderit, aut audierit, plurima deſtructio eſt*; nunquid & talia prælegere deſtructio erit? Si *Lex divina coram hoſpite legenda eſt, ut ædificetur*; nunquid & coram incola Monaſterii legenda erit, quatenus ædificetur? Vah! quoties contingit, quod ob negotia plures, qui menſæ aſſident, pro eo die nil adhuc ſpirituale legerint? Quoties contingit, ut per alias curas parum legerint? Quoties contingit, ut etiam ii, qui legerunt, nullum fructum ex lectione ſua hauſerint? Refectione igitur ſpiritus pro eo die fraudantur; dum nil, quod ædificet, ad menſam audiunt. Solet etiam teſte Gregorio ſtrictius cor viva vox trahere, quam ſimplex lectio per tranſitum. Ex his cogita; quanti momenti ſit, ad menſam Lectiones ſacras legere.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, Religioſe Lector! puram ſemper legendi habes intentionem? Qui gloriatur, in Domino glorietur. An cum magna ſolicitudine ad menſam legis? Diſpenſas verbum Dei. An ea legis, quæ ædificant? Vivere debet homo non de ſolo pane, ſed de omni verbo, quod procedit de ore Dei. Dole, quod huic officio hucusque non rite ſatisfeceris. Propone

1. Puram ante lectionem formare intentionem.
2. Magnam in legendo adhibere solicitudinem.
3. Ea solum legere, quæ ædificationis, non destructionis sunt.

DIES XXIX.

De tribus modis Divinæ Præsentiæ.

Deum credamus semper esse præsentem. Cap. 7. v. 23.

PUNCTUM PRIMUM.

PRimus modus, quo Deum jugiter habeamus nobis præsentem, est exercitium fidei circa Dei præsentiam. Ita nos docet SS. P., dum ait: *Deum credamus semper esse præsentem.* Facillimus iste modus est, & utilissimus. Facillimus; quia uno actu intellectus sine forti imaginatione phantasiæ completur. Utilissimus quoque; quia dum per fidem Deum præsentem agnosco, simul etiam omnia alia ejus attributa faciliter mihi repræsento. Ex quibus immensa animæ utilitas promanat. Etenim si Deum præsentem credo, etiam infinitam ejus potentiam præsentem habeo. Et quis inde non timeat? Deus præsens est, qui tangit terram, & præ timore tabescit. Si Deum præsentem credo, etiam infinitam ejus misericordiam præsentem agnosco. Et quis inde non spe-

ſperet? Deus præſens eſt, qui tam miſericors eſt, ut nec in ira ſua contineat miſericordias ſuas. Si Deum præſentem credo, etiam ſummam ejus in me providentiam cognoſco. Et quis inde ſe totum illi non relinquat? Deus præſens eſt, qui a dextris meis eſt, ne commovear. Ecce! quantæ utilitatis ſit, Deum præſentem credere.

PUNCTUM SECUNDUM.

ALter modus eſt, quo Deum in nobis, & nobiſcum operantem conſideramus. Ad hunc nos hortatur SS.P.N. hiſce verbis: *Qui timentes Dominum ipſa in ſe bona non a ſe poſſe, ſed a Domino fieri exiſtimantes, operantem in ſe Dominum magnificant.* Deus equidem ita nobis, & in nobis præſens eſt, ut multo nobis, quam nos nobis ipſis præſentior ſit. Deus ita omnia in nobis, per nos, & nobiſcum operatur, ut ſine ejus auxilio nec oculum movere, nec quidquam boni agere poſſimus. Ita ipſemet teſtatur, quando dicit: Sine me nihil poteſtis facere. O qui ita conſideraret, an peccare auderet? Quomodo Deum immenſam illam puritatem rurſum in peccatis ſibi ſervire cogeret? An ſuperbire auderet. Nunquid artifici potius, quam inſtrumento bonum opus adſcriberet? An non motui Spiritus ſancti in omnibus conſentiret, ne diſtortum, aut imperfectum quidquam faceret?

PUNCTUM TERTIUM.

TErtius modus, quo Deum nobis præſentem habeamus, eſt ejuſdem recordatio in omni loco. Sic nos inſtruit SS. P. N. *In omni loco Deum ſe reſpicere, pro certo ſcire.* Enimvero ſi in Oratorio, in Refectorio, in Muſæo, in Cella &c. primitus mihi occurrat Divina præſentia, quantam Domino Deo univerſorum in oratione exhibebo reverentiam? Quanta alacritate delicias cibi præ deliciis ſpiritus contemnam? Quanto ſtudio, & cordis contritione ad laborem incumbam? Quibus affectibus jugiter Deo ſummo, & unico bono meo inhærebo? Qua modeſtia ubique coram Deo meo incedam? Qui enim in hoc loco eſt, ſcrutatur renes, & corda. Qui in hoc loco eſt, contemplatur bonos, & malos. Qui in hoc loco eſt, reſpicit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens, & requirens Deum. Qui in hoc loco eſt, me judicio ſuo mox præſentandum expectat. O qui hoc exercitium Divinæ præſentiæ ſibi compararet, quam magnum Sanctitatis gradum cum SS. Patre conſcenderet. Etenim, quia in conſpectu ſuperni inſpectoris habitavit ſecum, culmen ſanctitatis aſcendit.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! actum fidei crebro de præſentia Dei elicis? Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt. An Deum in teipſo, & in actibus tuis præſentem conſideras? Operatur omnia in omnibus. An Deum præſentem

in omni loco venereris? In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino. Dole, quod oblitus fueris Dei tui. Propone

1. Sæpe actum fidei circa præsentiam Dei elicere.
2. Crebro Deum in te, & tuis actionibus præsentem considerare.
3. In omni loco Deum præsentem venerari.

DIES XXX.

De vitando Excommunicato.

Nullus ei Fratrum in ullo jungatur consortio, aut colloquio. Cap. 25. v. 2.

PUNCTUM PRIMUM.

Merito jubet SS. Pater, ut excommunicato *nullus Fratrum in ullo jungatur consortio, aut colloquio.* Consortium equidem, aut colloquium excommunicatum in malitia sua confirmat. Dantur enim subinde, qui iniqua compassione non tam excommunicatos, quam etiam quosvis tentatos contra Superiores magis exasperant. Sane hi non sunt *occulti illi consolatores, qui fluctuantem Fratrem ad humilitatis satisfactionem provocant.* Non sunt Angeli pacis, qui contumaces, & inobedientes ad subjectionem incitant. Potius malos genios sequuntur, qui ad suam damnabilem contumaciam homines quoque omnes pertrahere nituntur. Imo his eo

gravius nocent, quo blandius per affectum compaſſionis virus inobedientiæ inſtillant. Et tanto validius tentatum contra Superiores in ſua pervicacia conſolidant, quanto iniquius Superiorem injuſtitiæ arguunt. O quam magnæ pœnæ iſtorum erunt in æternitate, qui ſecuti ſunt Apoſtatas Angelos in iniquitate!

PUNCTUM SECUNDUM.

COnſortium, & colloquium communicantem cum excommunicato facile pervertit. Hinc merito jubet SS. P. N., ut *nullus Fratrum ei in ullo jungatur conſortio, aut colloquio.* Non ſolum autem excommunicati, ſed quilibet inobedientes, aut murmuratores ſtudioſe fugiendi ſunt. Nihil equidem ſic ad inobedientiam, & murmurationem provocat, ut communicatio cum inobedientibus, & murmuroſis. Vide enim. Murmurat unus coram altero, mox murmurabit & alter. Convenit tertius, murmurabit ſimiliter; donec murmurent omnes. Ita hæc lues per totum Monaſterium graſſatur. Reſpectus namque humanus erga murmurantem, vel averſio erga Superiorem ferme ſemper rumpit Regulam non murmurandi. Inobediens quoque alterius inobedientia animoſior fit. Si vis ab inobedientia, aut murmure liber eſſe; fuge inobedientium, & murmurantium conſortia, atque colloquia.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

CONsortium, & colloquium cum excommunicato similem pœnam promeretur. Ita statuit SS. Pater. *Si quis Frater præsumpserit quolibet modo Fratri excommunicato se jungere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.* Et merito. Qui enim se excommunicato inobedienti, aut murmuratori sociat, vitium ejus approbat, vel saltem male de se suspicandi occasionem præbet. Alii namque vitam nostram non perscrutantur, sed a sociis, & consuetudinibus dijudicant. Meretur similem pœnam; quia negligit hanc sacram Regulam. Qui enim legem contemnit, nec sub tam gravi pœna transgredi veretur; similis contumaciæ se reum facit. Meretur similem pœnam; quamvis duntaxat Fratrem ad emendationis satisfactionem provocaverit, si ab Abbate ad hoc missus non est. Idem quippe præsumit, quod, qui in periculo morbi gravissimi, artis omnis expers suscipit personam medici. Si ergo malas suspiciones, & similem pœnam incurrere non vis, *Fratri inobedienti, murmuratori, contumaci, excommunicato in nullo jungere consortio, aut colloquio.*

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! fugis consortium excommunicati, ne illum confirmes in sua contumacia? Væ tibi! si illi te socias, Dæmoni te socias; quia traditus est in potestatem Sa-

thanæ in interitum carnis. An vitas consortium excommunicati, ne eodem vitio inquineris? Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. An vitas consortium excommunicati, ne similem pœnam incurras? Gravissime peccat, qui in tanto periculo tantum præsumit. Dole, quod hucusque contra hanc Regulam sæpius peccaveris. Propone fugere consortium excommunicati, inobedientis, aut murmuratoris,

1. Ne eum in sua malitia confirmes.
2. Ne ejusdem vitio inquineris.
3. Ne eandem pœnam incurras.

DIES XXXI.

Recollectio Menstrua.

Reum se omni hora de peccatis suis existimans jam se tremendo judicio Dei repræsentari æstimet. Cap. 7. gr. 12. v. 82. & 83.

PUNCTUM PRIMUM.

QUa sententia S. Regulæ hunc mensem incepi, ea quoque eundem finire placet. Æstimo enim SS. Patrem in solitudine sua Sublacensi hoc præ cæteris egisse, ut *reum se omni hora de peccatis suis existimans jam se tremendo judicio Dei repræsentari æstimaverit.* Ex eo namque omnes status sui obligationes perfecte adimplevit. Tu saltem hodie illum sequere. Primo considera, an satisfeceris obligationi tuæ erga Deum. An crebro

bro actum vivæ fidei de præsentia Dei elicuisti? An Deum in teipso, & in actibus tuis præsentem credidisti? An in omni loco Deum præsentem coluisti? Accedentem ad Deum oportet credere. Pro! qualem rationem reddes, quod ex oblivione Divinæ præsentiæ Dei tot actus virtutum Theologicarum, ac timoris Dei hoc mense omiseris?

PUNCTUM SECUNDUM.

R*Eum te existima de peccatis tuis, & jam te tremendo judicio Dei præsentari existima*, atque proinde considera, an obligationi erga Religionem satisfeceris. An timuisti minimas Regulas transgredi? Qui spernit modica, paulatim decidet. An perfecte obediens fuisti? Vir obediens loquetur victorias. An motiva obediendi jugiter præ oculis habuisti? Quid ibi ardebit, nisi propria voluntas. An nec verbo, nec opere contradixisti? Qui superbierit, nolens obedire, morietur homo ille. An nullum gradum contumaciæ conscendisti? Qui noluerit audire, ego ultor existam. An nullum desiderium vagandi habes? Vagari foras non expedit animabus Monachorum. An motiva convertendi mores tuos crebro recolis? Ecce nunc dies salutis. An humiliationes externas pro defectibus in Choro, in regulari disciplina, in commotione Superiorum non omittis? Humilitas omnia supplet. An modos procurandi attentionem in S. Psalmodia observas? Mens, ni habeat, quo se recolli-

gat, ſemper evagabitur. An officium Lectoris ad ædificationem audientium peragis? Sic vivere facies hominem de verbo Dei. Pro quantam rationem habes, quod obligationi erga Religionem nec ſatisfeceris, nec ex ea profeceris!

PUNCTUM TERTIUM.

R*Eum te exiſtima de peccatis tuis, & jam te tremendo judicio Dei præſentari æſtima*, atque conſidera, an obligationi erga proximum ſatisfeceris. An cum diſcordante ſtatim in pacem rediiſti? Solicitus eſto ſervare unitatem in vinculo pacis. An nullum zelum malum habes? Æmulare chariſmata meliora. An in tribulatione ſubvenis? Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. An non te jungis male contentis cum Superioribus? Similem pœnam, & afflictionem incurres. Pro quantum te accuſabunt proximi tui, quod juxta ſtatum tuum eos non adjuveris!

PUNCTUM QUARTUM.

R*Eum te exiſtima de peccatis tuis, & jam te tremendo judicio Dei præſentari exiſtima*, atque conſidera, an obligationi erga teipſum ſatisfeceris? An patiens fuiſti in infirmitatibus? Patientia habet opus perfectum. An fortitudinem Religioſam colis? Accinge fortitudine lumbos tuos. An vere te humilias? Exaltaberis. An modeſtiam Religioſam in omnibus obſervas? Modeſtia veſtra nota ſit omnibus homini-

minibus. An zelum bonum habes? Sine zelo bono refrigescet charitas. An consuetudinem bonam tibi procuras? Est quasi altera natura. An otium vitas? Hæc fuit iniquitas Sodomæ superbia, & otium ejus. An plus loqueris, quam expedit? Vana est religio tua. An non somnolentus es? Ne patiaris totius vitæ medium tibi sine fructu præripi. Pro quam multæ, & magnæ sunt rationes tuæ! Dole, quod obligationibus status tui ex timore Divini judicii non satisfeceris. Propone emendationem, & satisfacere stude, ne sententiam maledictionis potius, quam benedictionis incurras.

SEPTEMBER.

DIES I.

De Perfectione Paupertatis.

Nullam omnino rem habere. Cap. 33. v. 2.

PUNCTUM PRIMUM.

SEmper sanctisMonachis sacra Paupertas totus divitiarum thesaurus fuit. Ipsa hominem in eum constituit statum, ut nullius indigeat. Qui enim aliquid adhuc desiderat, etsi ditissimusRex sit, eget, pauper est. Unde David ait: Divites eguerunt, & esurierunt. Qui vero nihil concupiscit nisi Dominum, omnia possidet, & plus quam desiderare potest, habet. Inquirentes enimDominum non minuentur omni bono. Unde SS. P. præcipit, ut

nullam omnino rem habeamus. Ad quod requiritur primo, ut quis totam mundi ſubſtantiam, dilectionem inordinatam, ac confidentiam Parentum, cognatorum, & omnium hominum, amorem quoque propriæ vitæ cum omni affectu, aut delectatione relinquat. Sic Matthæus telonium, Joannes, & Jacobus navim, rete, Patrem relinquere debuerunt, ut ſequerentur Chriſtum. Ita verum eſt, quod niſi quis omnem terrenorum curam, & amorem reliquerit, Chriſtum ſequi non poſſit. Ita certum eſt, quod ſi quis rurſus ad ea, quæ ſemel reliquit, affectu redierit, regno Dei aptus eſſe non poſſit. Hanc veritatem docent nos Iſraelitæ. Corpore egreſſi erant Ægyptum, ſed affectu redierant. O bone Deus! propter hanc unam infidelitatem Deum ipſum Factorem ſuum dereliquerunt, & Deos Ægyptios adoraverunt. Time, o Religioſe! & quæ ſemel abjeciſti, reaſſumere expaveſce.

PUNCTUM SECUNDUM.

AD impletionem præcepti SS. P. N. *nullam rem omnino habere* requiritur ſecundo, ut quis ſemel relictis omnibus curis, & affectionibus rei cujuscunque terrenæ omnem ſuam ſolicitudinem in Deo conſtituat. Omnia neceſſaria vitæ temporalis, & ſpiritualis ab ipſo ſolo ſperet. Hinc quamvis ab hominibus eleemoſynam corporalem, vel ſpiritualem accipiat, non tamen quaſi ab ipſis, ſed a ſolo Deo tanquam per miniſtros ſuos miſſam ſuſcipiat.

Con-

Contentetur omnibus. Et quia omnia ceu munera Dei accipit, vilia quæcunque pretiosa reputet. Defectum necessariorum sine tristitia patiatur; nam semper eorum supplementum certo a Deo opportuno tempore sperare debet. Sequantur SS. Patrem, qui in egestate tritici Fratres ita consolatus est: Hodie quidem minus est, sed die crastina abundanter habebitis. Hæc perfectio paupertatis ita necessaria est, ut nemo sine hac perfecte leges Evangelii observare possit. Nemo sine hac interna, & externa abrenunciatione spiritum compunctionis, internæ, & externæ humilitatis, ac patientiæ, imo perfectæ abnegationis omnium naturalium passionum ad vitam Evangelicam requisitum obtinere possit. Ad hanc autem perfectionem paupertatis nemo teste S. Syncletica pervenit, qui non per corporis castigationem, jejunia, vigilias, & humicubationes ad eam contendit. Tam magna enim, ut ait, perfectio Evangelicæ paupertatis est, ut eam solum ii, qui in omni virtute exercitati sunt, penitus assequantur.

PUNCTUM TERTIUM.

AD omnimodam demum impletionem præcepti SS. P. N. *nullam omnino rem habere*, requiritur, ut nullam amplius de terrenis cogitationem habeamus, sed nostra conversatio in cœlis sit. Quod si aliqua subito incidat, statim rejicienda est. In hoc summa paupertatis perfectio sita est. Ad hanc efficaci voluntate conari

nari omnes obligamur. Quod si eam non obtineamus, atque subinde voluptate rerum temporalium capiamur, adhuc pauperes sumus; dummodo vere pœniteamus, ac serio nos emendemus. O Religiose! sequere! ah! sequere! SS. Patrem tuum. Ita absorptus est in supremum Inspectorem, in cujus conspectu habitat secum, ut nihil de terrenis cogitet. Ea ac si non essent, aspiciat. Ut stercora reputet. Nunquam autem ad hanc gratiam pertinges, nisi instantissima oratione ejus auxilium jugiter imploraveris. Imo nisi ingens desiderium cum actuali conatu omnium virium tuarum eam consequendi semper in corde tuo foveris.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! omni affectui ad res terrenas renunciasti? Qui non renunciaverit omnibus, non potest meus esse discipulus. An totam solicitudinem tuam in Deum projecisti? De vestimento quid soliciti estis? An nunquam amplius de terrenis cogitasti? Veritatem diligite, ait Dominus omnipotens. Dole, quod hactenus ad perfectionem paupertatis juxta normam SS. Patrum, & formam Professionis tuæ obtinendam nullum ferme conatum adhibueris. Propone

1. Omni affectui ad res terrenas renunciare.
2. Totam spem tuam in Deo collocare.
3. De terrenis, ac si non essent, nil deinceps cogitare.

DIES

DIES II.

De Æternitate Gehennæ.

Gehennam expavescere. Cap. 4. Instr. 45.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctissimus Pater Noster, dum nos *Gehennam expavescere* docet, maxime sempiternitatem ejusdem nobis considerandam proponit. Magna quidem pœna esset, vel ad momentum beatifica visione destitui. Magna pœna esset, ad breve tempus in Sanctorum Choro non constitui. Magna pœna esset, per aliquot annos, ab ineffabili cœli gloria prohiberi. Magna pœna esset, per sæculum, aut millia millium annorum a cœli gaudiis excludi. At tolerabilis, licet in se intolerabilis, foret ista pœna, si aliquando spes redemptionis damnatis affulgeret. Nunc, quia finem non habet, plane incomprehensibilis est, & immensa. Numerus quippe annorum ejus inæstimabilis. Considera sempiternitatem inferni per sæcula, post sæcula per centena millia, & millia annorum, & tamen necdum medium, ne dicam finem attigisti. Verbo. Semper est. Semper consortio Dei, Sanctorum, & cœlestium bonorum privat. Hæc cogita, & libenter breves carnis voluptates spernes, ut æternas pœnas effugias.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

G*Ehennam expavescere* facit æternitas. Si tenebræ essent, & stridor dentium. Si ignis ureret, & non combureret. Si frigus cruciaret. Si jugis gemitus, & dolor. Si nullus qui consolaretur, sed omnes omnes affligerent. Si pœnæ, & tormenta omnia inferni Deus millecuples multiplicaret, & tantum intenderet per suam Omnipotentiam, quantum possunt; adhuc damnatis tolerabilia viderentur; dummodo spem liberationis aliquando haberent. At quia spe carent; prorsus incomprehensibilia sunt. Cogita. Dies, & anni hominis a diebus, & annis discrepant æternitatis: quia vitam nostram, quæ tempore incipitur, tempore finitur, dum intra sinus sui latitudinem format, æternitas devorat. Cujus nimirum immensitas, quia ultra, citraque nos tenditur, sine inchoatione, & termino ejus æternum esse dilatatur. Æternitati namque nec transacta prætereunt, nec adhuc ventura, quasi quæ non appareant, desunt. Verbo: Semper erit infernus. An non brevitatem gloriæ hujus mundi spernes, ut æternas inferni pœnas effugias?

PUNCTUM TERTIUM.

G*Ehennam expavescere* facit æternitas. Erit enim ibi mors sine morte. Finis sine fine. Defectus sine defectu. Ibi mors semper vivet. Finis semper incipiet. Defectus deficere nesciet. Mors perimet, & non extinguet. Dolor cruciabit, & pavorem non fugabit. Flamma

com-

comburet, ſed non exuret. Sine fine equidem damnati in cruciatu vivent. Sine ſpe veniæ, & miſericordiæ cruciabuntur, quod eſt miſeria ſuper miſeriam. Meditare. Si enim poſt tot millia annorum, quot capillos habuerunt omnes, quicunque fuerunt, & erunt, pœnas ſuas finiri ſperarent, multo levius eas ſuſtinerent. Sed quia ſpem non habent, nec habebunt, deſperatione deficient, & ad tormenta non ſufficient. Verbo: Peccata detegentur. Rei punientur. Et totum hoc erit perenne. Quis non a quovis peccato, cujus concupiſcentia brevis, & momentanea eſt, ceu a facie colubri fugiat, ne æternas inferni pœnas ſuſtinere cogatur?

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! conſideras æternitatem gehennæ, ne brevi carnis voluptate capiaris? Ite maledicti in ignem æternum. An conſideras æternitatem gehennæ, ne brevi mundi gloria extollaris? Ite maledicti in ignem æternum. An conſideras æternitatem gehennæ, ne brevi concupiſcentia peccati alliciaris? Ite maledicti in ignem æternum. Dole, quod hucusque æternitatem gehennæ non conſideraveris. Propone eandem ſæpe meditari

1. Ad abjiciendam brevem voluptatem carnis,

2. Ad contemnendam brevem gloriam mundi,

3. Ad fugiendam concupiſcentiam peccati.

DIES III.

De Compassione erga delinquentes.

Pastoris boni imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quæ erraverat, quærere: cujus infirmitati compassus est. Cap. 27. v. 9. & 10.

PUNCTUM PRIMUM.

NE rigidi nimium censores essemus defectuum Confratrum nostrorum, SS. Pater nobis proponit exemplum pii Pastoris. *Pastoris boni imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quæ erraverat, quærere: cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.* Vult ergo, ut intimo cordis affectu delinquentibus compatiamur. Acris quippe delinquentium censura provenit ex superbia, qua quis *propriam infirmitatem suspectam non habet.* Sane si cogitaret illud: qui stat, videat, ne cadat; quomodo ob quosvis defectus in proximum exasperari posset? Nunquid timeret, ne paulo post eosdem committeret? Nunquid eundem compassionis affectum illi exhiberet, quem & sibi post lapsum exhiberi cuperet? Ita Samuel compatitur Sauli ob crimen inobedientiæ. Sic Paulus luget ob fornicationem Corin-

rinthios. Sequere; secus in eadem vitia cades, propter quae in proximos exasperaris.

PUNCTUM SECUNDUM.

Cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris dignaretur imponere. His vult Almus Pater, ut per compassivam correctionem portemus delinquentem Fratrem. Ita enim sublevamus onus peccati illius, quando illud tollimus. Non vero tollemus, nisi cum omni compassionis affectu eum corrigamus. Asperitate verborum magis exasperabitur. Etenim peccatum peccato non tollitur, sed charitate. Hanc charitatem SS. Patrem habuisse, ostendunt satis verba illius, quibus correctionem delinquentis Fratris praecipit: *Abbas debet immittere consolatores Seniores, qui consolentur eum, ne abundantiori tristitia absorbeatur.* Praeterea jubet, ut *adhibeat unguenta adhortationum, & medicamina Scripturarum.* Quibus plane affectum Patris, & medici, si Filium suum curaret, & curatio sine cruciatu adhiberi non posset, satis superque exprimit. Et qualis hic affectus esset? Teste S. Basilio plenus foret compassione, lenitate, & misericordia. Simili & tu Fratrem tuum delinquentem corripe, considerans, ne & tu tenteris.

PUNCTUM TERTIUM.

Cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam dignaretur reportare ad gregem. Hisce vult SS. Pater, ut ex compassione ore-

mus pro Fratre delinquente. *Confirmetur, inquit, in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus.* Et. *Abbas adhibeat, quod majus est, suam, & omnium Fratrum pro eo orationem.* Oratione quippe portatur ad gregem. Nil potentius namque est ista oratione. Quomodo enim non exaudiat Deus eum, qui tam fervide ob zelum honoris sui orat pro Fratre suo? Quomodo non exaudiat eum Pater cœlestis, qui cum unigenito Filio suo tam ardenter orat pro salute Fratris sui? Sane si exaudiendi sunt duo consentientes super terram, quanto magis exaudiendus erit, qui consenserit cum Filio Dei Advocato nostro apud Patrem, ac jugiter interpellante pro nobis? Si ergo verum zelum erga delinquentem Fratrem habes, compatere ei, obsecra, & compassive argue eum. His, dum nihil proficis, si reprobus non est, ora pro eo, & salvabis animam ejus a morte.

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religiose! compateris Confratri delinquenti? Ergo peribit Frater tuus infirmus, pro quo Christus mortuus est? An compassive arguis Fratrem delinquentem? Instrue eum in spiritu lenitatis. An compassive oras pro Fratre delinquente? Orate pro invicem, ut salvemini. Dole, quod hanc compassionem non exercueris. Propone

1. Cum delinquente compassionem habere.
2. Delinquentem compassive arguere.
3. Pro delinquente ex compassione orare.

DIES

DIES IV.

De Probatione veræ Humilitatis.

In ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur. Cap. 29. v. 2.

PUNCTUM PRIMUM.

NIl rarius vera humilitate. Hinc SS. Pater præcipit Superiori, ut Diſcipulorum ſuorum humilitatem maxime delinquentium crebro probet. Primam probam ponit in hoc, ut *in ultimo gradu recipiatur.* Etenim ſi quis veraciter *omnibus ſe inferiorem, & viliorem, non ſolum ſua lingua pronunciet, ſed etiam intimo cordis credat affectu*, gaudebit plane, dum omnibus poſtponitur. Nec verbo, nec ſigno triſtitiam inde prodet; ſed & ad hunc ultimum Servorum Dei gradum indignum ſe judicabit. Falſa vero humilitas eſt ſi triſtetur; quando alii quovis modo ſibi præferuntur. Ficta humilitas eſt, ſi dum alii laudantur, ipſe indigne fert. Fucata humilitas eſt, ſi aliis cum quocunque modo proponitur, inde conturbatur. O ſancta Humilitas! omnes te habere volunt. Omnes te habere ſimulant. Omnes tuo ſplendore ſplendeſcere cupiunt. At nemo te exercere appetit. Quivis humilis apparere geſtit, ſed vilis eſſe refugit.

PUNCTUM SECUNDUM.

ALteram probam humilitatis ponit SS. P. N. *si quis pro Dei amore omni obedientia se subdat majori.* Etenim nisi *ad omnia, quæ sibi injunguntur, velut operarium malum, & indignum se judicet*, veram humilitatem non possidet. Nisi vilia servitia obire lætetur, veram humilitatem non habet. Nisi correctiones, & pœnitentias regulares hilariter recipiat, humilitatem veram non tenet. Nisi Superiori imperfecto, æque ac perfecto obediat, vera humilitate præditus non est. Humilis enim ad omnia, & in omnibus affectum habet tractabilem. Humilitas de charitate profluens nihil molestiæ ex abjectione, & vilipensione patitur. Ultro ad imum tendit. Imo cum apprehenderit inferiora, quiescit. O sancta Humilitas! quam paucis innotescis? Multi humiles dici curant; at humiliari prorsus dedignantur.

PUNCTUM TERTIUM.

TErtiam probam humilitatis ponit SS. P. N. *si in quibuslibet irrogatis injuriis tacita, conscientia patientiam amplectatur.* Etenim sicut aurum in fornace, ita humilitas in officina patientiæ probatur. Impossibile quippe est, eum, qui non sibi persuasit, se omnium opera indigere, omniumque se esse novissimum, unquam posse contemptum, convitium, aut quamlibet injuriam perferre. Solus ille, qui prius sibi conscius est propriæ vi-

litatis, animo non commovetur, dum probrosis ignominiæ verbis lacessitur. Vix equidem se injuriari advertit, mox omni contemptu, & probro dignum se judicat. Econtra falsa humilitas, dum verbulo offenditur, statim irascitur. Pro uno injurioso verbo centum reponit. Aut si quavis de causa se vindicare non audet, rancorem in corde conservat. O S. Humilitas! quam multi se humiles jactitant; at adversitas probat, quantum a vera humilitate distent. Tu SS. Patrem sequere. Vide, quanta patientia injurias ab iniquis illis Monachis, qui veneno illum extinguere attentarunt, supportaverit. Vere humilis fuit. Dignum se morte judicavit.

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religiose! aliis postponi gaudes? Vere humilis ponit se ad infimum locum. An in vilissimis muniis æque libenter, ac in splendidis obedis? Vere humilis semper abjecta sibi seligit. An de contemptu, & injuria lætaris? Vere humilis cum Salvatore opprobriis saturari appetit. Dole, quod has veræ humilitatis probas necdum sustinere possis. Propone,

1. Aliis libenter primum locum in omnibus cedere.
2. In contemptibiliori munere gaudenter obedire.
3. Opprobriis te dignum judicare.

DIES V.

De Vitanda Turbulentia.

Non turbulentus. Cap. 31. v. 2.

PUNCTUM PRIMUM.

TUrbulentia iſta, quam SS. Pater hiſce, *non ſit turbulentus*, prohibet, ex nimiis animi paſſionibus provenit. Oritur enim ex præcipitantia, qua ſine conſideratione perturbate juxta concupiſcentiæ motus in objecta præſentia fertur. Oritur ex nimio fervore iræ, per quam, quidquid agit, perturbate agit. Oritur ex multitudine & magnitudine paſſionum, in quibus animus cæco, & perturbato modo per omnia incedit. O quot inde errores naſcuntur! prô quot vitia inde pullulant! tu cum conſideratione, & longanimitate omnia age. Rationem equidem ideo a Deo poſſidemus, ne ſecundum naturæ inordinatæ inſtinctum, aut objectorum motum belluarum more agamus. Ideo & fidei lumine nos inſtruxit, ut ſi ratio per peccatum originale obſcurata cæcutire vellet, per hoc illuminaretur. Ideo quoque longanimitatem Salvator nobis commendat, ut patienter paſſionum, & concupiſcentiæ tumultum ſuſtinentes, ſecundum rationem, & fidem operemur. O ſi ita egiſſes, nunquam tam turpiter a via ſalutis aberraſſes. Cave ergo a turbulentia.

lentia. Ex hac & primum Angelorum peccatum ortum eſt. Nunquam enim peccaſſent, ſi peccati gravitatem conſideraſſent.

PUNCTUM SECUNDUM.

N*On turbulentus.* Turbulentia provenit ex variis, & multis objectis. Dum enim animus vel inconſtans eſt, vel amore nimio in negotio fertur, aut varia, aut multa negotia tractat. Nulli ſatisfacit. Omnia perturbate agit. Certe non bene facit, qui diverſa facit. Non bene facit, qui multa facit. Solum ille bene facit, qui unum perfecte facit. Ejusmodi recte objicitur illud Salvatoris. Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima. Vix enim unum agere cæperunt, jam vel amore, vel ſolicitudine alterius afficiuntur. Porro unum tamen eſt neceſſarium. Et quodnam eſt illud unum? Ut id agant, quod Regula, vel Abbas hic, & nunc agere jubet. Ut id rite agant, quod præſens eſt. Ut id, quod ex obedientia ſemel ad Dei honorem inceperunt, niſi ab obedientia rurſus prohibeantur, ad finem usque perficiant. Non enim opus coronatur, niſi ad finem usque deducatur. Pro! quam imperfecta, nullius meriti, nullius frugis ſunt illorum opera, qui varia, & multa agere volunt? Tu ergo unum ex obedientia, & magna charitate age, & varia, & multa, & magna, & omnia feciſti.

PUNCTUM TERTIUM.

NOn *turbulentus*. Turbulentia provenit ex ſubitaneis, & improviſis caſibus. Vix enim quidpiam adverſi nobis accidit, mox perturbamnr. Præ perturbatione nec conſilio, nec auxilio nobis eſſe poſſumus. Et quo diutius ejusmodi turbulentiæ inhæremus, eo majus incrementum capit. Imo quæcunque media arripimus, ad finem non conducunt. Tu in ejusmodi caſu mox ad Divinam providentiam te converte. Cogita : ſic Divina providentia ſuper unam animam intendit, ſicut ſuper multitudinem generis humani. Qui enim diſponit univerſa, diſponit unum; quia, qui omnia adminiſtrando implet, regit etiam implendo. Quidquid igitur accidit, non caſu, ſed Deo diſponente aut permittente accidit. Et quod a Deo venit, non poteſt eſſe niſi bonum, & ad ſalutem Electorum ſuorum. Reſigna ergo, & relinque omnia Divinæ providentiæ. Ora pro auxilio, & conſilio, & utrumque aderit.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! non es turbulentus ob paſſiones tuas? Diſcite a me, qua mitis ſum, & humilis corde. An non es turbulentus ob multa, & varia negotia? Qui ſibi nequam, cui bonus? Unum eſt neceſſarium. An non es turbulentus propter incidentes adverſitates? Ipſe ſolus eſt, & nemo poteſt avertere

tere cogitationem ejus. Dole, quod hucusque adeo turbulenter vixeris. Propone

1. Non esse turbulentus ex passione,
2. Nec ex plurimis, aut variis negotiis,
3. Neque ex improvisis casibus.

DIES VI.

De Fugienda Tarditate.

Non tardus. Cap. 31. v. 2.

PUNCTUM PRIMUM.

TRiplicem SS. P. N. tarditatem damnat. Primam quidem ad obsequia fraterna prohibet: *Non tardus.* Qui enim pro obsequio fraterno exoratus tardat, ipsa tarditate charitatem se non habere demonstrat. Fratrem contristat. Et si obsequium *cum mora, aut aliquo typo offerat*, sæpe eum etiam scandalizat. Vera equidem charitas nescit moram. O quanta hilaritate, & promptitudine Agapito Diacono ipsum, quod solum supererat oleum, petenti largitus est! quam graviter castigavit propterea tardantem Cellerarium? Tu ergo *memor divini eloquii, quid mereatur, qui scandalizaverit unum de pusillis,* hilariter, & prompte obsequia fraterna obi: *Si quis forte a te aliqua irrationabiliter postulat; non spernendo eum contrista, sed cum humilitate, & sermone responsionis bono denega. Sermo quippe bonus super datum optimum.* Quan-

Quantum inde ſplendeſcet charitas tua ! quam acceptabilis erit Deo, & hominibus ! quam bonum gradum acquires in cœlis, ſi ſic velociter charitatem adminiſtraveris in terris!

PUNCTUM SECUNDUM.

Alteram tarditatem prohibet SS. P. N. ad obedientiam. *Non tarde.* Si enim obedire tardas, quid aliud innuis, quam quod judicio tuo, & propriæ voluntati adhuc nimium innitaris? Si moras nectis, quid aliud innuis, quam quod vel mandata Superioris diſcutias, aut ob magnam voluntatis reſiſtentiam illa aggredi timeas? Sane qui perfectam obedientiam præſtare conantur, *moram pati neſciunt in faciendo. Statim relinquunt, quæ ſua ſunt. Statim voluntatem propriam deſerunt. Mox exoccupatis manibus, & quod agebant, imperfectum relinquunt. Vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis ſepuuntur*, Cur? *Ut obauditu auris obediant Domino.* Nunquid Chriſtus ſuam vocationem contemptui haberi exiſtimaſſet, ſi Apoſtoli retia ſua relinquere tardaſſent? Horum velocem igitur obedientiam antiqui Patres ſemper imitati ſunt. Et o quam grata fuit Deo & hominibus! Marcus diſcipulus Abbatis Silvani teſtis ſit. Plus ſuis condiſcipulis ideo ab eo diligebatur. Quare reliqui contriſtati Senes ad eum miſerunt, ut parem omnibus exhiberet amorem. At Abbas ſingulorum cellas pulſans, proprio quemque nomine vocavit. Et cum nullus veniret, Mar-

Marcus mox ad vocem Senis relicta adhuc imperfecta littera foras egressus est. Hinc Senes dixerunt: In veritate, quem tu diligis, & nos jam diligimus: quia & Deus eum propter suam obedientiam diligit. Sequere, & dilectus eris Deo, & hominibus.

PUNCTUM TERTIUM.

TErtiam tarditatem prohibet SS. P. N. ad opera communia. Unde *iis, qui ad opus Dei, vel ad mensam tarde occurrunt*, pœnitentiam præscribit. Et merito. Tarditas etenim tam conveniendi ad opera communia, quam exercendi eadem magnam redolet acediam. Ubi enim fervor, ibi & velocitas, ut *perfecta discipuli opera citius explicentur*. E-contra acedia ad illa accedere horret. In ipsis pigritat, & vix non dormitat. Nullam patitur alacritatem. In omnibus, & ad omnia tædio animum afficit, ut nec orare, nec legere, nec laborare jam libeat. Hinc displicet Deo summopere; quia hilarem datorem diligit. Displicet & hominibus; quia inde conturbantur, contristantur, & scandalizantur. Tu, ut Deo placeas in bono, & ad bonum Confratribus, esto velox in omni opere tuo.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! non tardus es ad obsequia fraterna? Qui cito dat, bis dat. An non tardus es ad obedientiam? Abraham ea nocte surrexit ad immolandum Filium, qua

præ-

præceptum accepit. An non tardus es ad opera communia? In operibus tuis esto velox. Dole, quod & tu tardus sis in his omnibus. Propone non tardus esse

1. Ad obsequia fraterna,
2. Ad obedientiam.
3. Ad opera communia.

DIES VII.

De Negligentia in usu rerum Monasterii.

Nihil ducat negligendum. Cap. 31. v. 14.

PUNCTUM PRIMUM.

QUod hic SS. Pater Cellerario præcipit, cuivis quoque Religioso injungit: *Nihil ducat negligendum, ne aliquid perdat.* Cur? Quia nullam omnino rem propriam habet. Quo utitur, suum non est, sed Christi patrimonium. Ad ipsum pertinet, quidquid per fidelium vota Monasterio oblatum est. Sacrum est. Unde ex hac ratione SS. Pater vult, ut *omnia vasa Monasterii, cunctamque substantiam, ac si Altaris vasa sacrata conspiciamus.* O quam præclarum hac in re SS. Patres nostri nobis exemplum reliquerunt! minimas quasvis reculas, ne perirent, collegerunt. Ita viva fide, & magna devotione cunctam Monasterii substantiam tractabant. Omnia sacrata aspiciebant. Omnia magni æstimabant.

Quare

Quare tu vestigiis eorum non insistis? Tua, non Christi ea, quibus uteris, esse existimas?

PUNCTUM SECUNDUM.

N*Ihil ducat negligendum ne aliquid frangat.* Cur? Quia pauper est. Sane pauper, cui res angusta domi est, *de omnibus curam gerit.* Solicitus est, ne vel minimum, quid deterioretur. Hoc quippe si caruerit, ipsa extremitate, & necessitate carebit. Hanc paupertatem, ni sequamur, vere pauperes non sumus. Illud S. Regulæ, *omni vilitate, & extremitate contentus sit Monachus*, non implemus. Potius divitum more non curamus perdere, & frangere, quæ nobis ad usum conceduntur. Parvi æstimamus deteriorare res Monasterii, securi, quod pro deterioratis meliora nobis restituantur. Revera hoc non est colere S. Paupertatem, sed divitum superfluitatem. O quantam rationem exiget Salvator noster, ab iis, qui tam parvam curam gesserunt de rebus suis! si enim tam austere requirit talenta, & mnas extraditas, quam severe castigabit omnino deperditas. Tu, ne aliquid contra paupertatis votum de substantia Monasterii deteriores, semper cogita illud SS. Patris tui: *quia pro his omnibus in die judicii rationem redditurus es.*

PUNCTUM TERTIUM.

N*Ihil ducat negligendum, nec sordide, aut negligenter res Monasterii tractet.* Cur? Quia

Quia omnia in Monaſterio Deo ſacra ſunt. Magnum ergo piaculum eſt, res Deo dicatas ſordide, aut negligenter tractare. Sane Balthaſar ille, quia vaſa templi inquinavit, malitiam ſuam complevit. Servus, qui talentum ſuum ſordide ſubtus terram ſuffodit, in tenebras exteriores miſſus eſt. Et merito. Qui enim res Dei ſordide tractando contemnit, ipſi Deo debitam denegare reverentiam convincitur. Hinc SS. Patres nec minimam ſorditiem in veſtibus, in paupere ſuppellectili, & in toto Monaſterio pati valuerunt. Omnia munda ob reverentiam Dei, ad quem ſpectant, eſſe volebant. Horum exemplum ſecutus SS. Pater Noſter, & ipſe præcipit Septimanariis, ut *Sabbatho munditias faciant.* Cur tu tam ſordide res ad uſum tibi conceſſas tractas? Parvam de Deo, rebusque ſacris æſtimationem habes.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! nihil negligis perdendo? Chriſti rem perdis. An nihil negligis deteriorando? Si ſperas bonorum abundantiam, non habes paupertatis obſervantiam. An nihil negligis ſordide tractando? Sordes in rebus divinis totam Religionem dehoneſtant. Dole, quod contra votum paupertatis quam plurima in rebus Monaſterii neglexeris. Propone nihil negligere

1. Perdendo,
2. Deteriorando,
3. Sordide tractando.

DIES VIII.
IN NATIVITATE B. V. MARIÆ.
De triplici obligatione vocationis Religiosæ.

Amice, ad quid venisti ? Cap. 60. v. 4.

PUNCTUM PRIMUM.

NAta est hodie B. V. Maria, ut gloria Dei quam maxime ex ipsa resplenderet. Ubi enim majorem gloriam Deus accepit, quam cum hominem ex ea assumpsit? Et tu o Religiose! ad Dei gloriam promovendam quam maxime vocatus es. Nonne S. Pater tuus ab initio Regulæ suæ mox ad istam te hortatur: *Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos: sed ipsa in se bona, non a se posse, sed a Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant illud cum Propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam?* Vocatus quidem eras per creationem ad gloriam Conditoris. At quia tuam inordinate quærebas, vocavit te Deus ad statum Religionis. Hic aliud non est, quam status objectionis, & vilificationis propriæ. Hic aliud non est, quam continua glorificatio Dei. Percurre singula capita S. Regulæ, singula ad hunc finem tendere reperies. Sæpius igitur

quære ex temetipſo, *amice ad quid veniſti*, ut ſequaris natam Virginem.

PUNCTUM SECUNDUM.

NAta eſt hodie B. V. ad ſalutem hominum. Nonne ipſa jugis mediatrix, & advocata fuit Redemptionis noſtræ? Et tu o Religioſe! vocatus es ad promovendam hominum ſalutem? Nonne SS. Pater tuus jubet, ut jugiter *pro amicis, & inimicis ores?* Nonne ſtatus Monachi requirit, ut puram offerat Deo orationem? Quid autem magis exaudit Deus, quam talem orationem? Quo magis placatur, quam tali oratione? Nonne Moyſes avertit iram Dei a populo ſuo per orationem? Crebro igitur ex te quære, *amice ad quid veniſti?* Sequere juxta ſtatum tuum natam Virginem. Eſto per puram orationem Mediator, & Advocatus hominum. Avertes ab ipſis iram Dei. Reconciliabis eos Deo. Salvabis animas illorum. Ita Spiritus ſanctus & hortatur, & promittit. Orate pro invicem, ut ſalvemini.

PUNCTUM TERTIUM.

NAta eſt hodie B. V. ad ſalutem propriam. Quis enim magis ſalutem ſuam per indeſinentem virtutum profectum promovit quam B. V.? Et tu o Religioſe! ad ſalutem tuam unice per virtutum profectum promovendam vocatus es. Quoties SS. Pater tuus hujus te admonet? *Currite, dum lumen vitæ habetis,*

ne tenebræ mortis vos comprehendant. Et. *Currendum, & agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat.* Hoc plane unicum negotium tuum eſt, ut ſalutem tuam in tuto colloces. Quid enim proderunt alia negotia omnia, ſi animæ tuæ detrimentum patiaris? Quid proderunt omnes labores, ſi per hos æternum gloriæ pondus non adaugeas? Quid proderunt omnes curæ, ac ſolicitudines, ſi pro animæ tuæ ſalute curam non habeas? Manet veritas Salvatoris. Qui ſibi nequam, cui bonus erit. Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus. Unum eſt neceſſarium. Omnia ergo ad ſalutem tuam facere debes. Quæ ad iſtam non conducunt, tanquam noxia penitus contemnas. Sæpius in hunc finem tibi objice: *Amice, ad quid veniſti?* Sequere natam Virginem, & de omni momento proficies. Omne enim, quod ad profectum tuum impenderis, immenſum gloriæ pondus tibi operabitur. Et quod ad ſalutem tuam non impenderis, minuet immenſum iſtud gloriæ pondus.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! juxta vocationem Divinæ gloriæ promovendæ unice ſtudes? *Ut in omnibus glorificetur Deus,* præceptum SS. P. N. eſt. An juxta vocationem tuam ſalutem hominum per orationes promoves? *Frequenter pro amicis, & inimicis orare,* juſſio SS. P. N. eſt. An juxta vocationem tuam ſalutem propriam promoves? *Ut ad eum per obedientiæ la-*

borem redeas, a quo per inobedientiæ desidiam recesseras, tota SS. Regula hortatur. Dole, quod hisce vocationis tuæ obligationibus non satisfeceris. Propone juxta vocationem tuam

1. Dei gloriam,
2. Salutem hominum, &
3. Propriam semper promovere.

DIES IX.

De grandi Murmurationis malo.

Ante omnia, ne murmurationis malum pro qualicunque causa in aliquo qualicunque verbo, vel significatione appareat. Cap. 34. v. 5.

PUNCTUM PRIMUM.

GRande malum est murmuratio, ita, ut SS. P. N. vetet, *ante omnia, ne murmurationis malum pro qualicunque causa appareat.* Nullam murmurandi causam, quantumcunque justa appareat, admittit. Murmur quippe rursus patientis Salvatoris renovat dolores. Lancea est lingua murmuratoris, qua Dominicum latus denuo crudeliter foditur. Perimit enim illum, qui loquitur. Spinas merito quoque dixeris linguam murmuratoris. Pungunt illum, qui eam libenter audit. Clavos appellaveris linguam murmuratoris. Transfigunt illum, de quo loquitur. O nefandum scelus!

lus! crudelius in Salvatorem ſævit, quam omnis tortura ſævientium Judæorum. Niſi enim JEſus vitam gratiæ in corpore, quod a murmuratore nunc cruciatur, vitæ corporis ſui prætuliſſet nunquam iſtam per ignominiam crucis perdidiſſet.

PUNCTUM SECUNDUM.

GRande malum eſt murmuratio, ita, ut SS. P. N. prohibeat, *ante omnia, ne murmurationis malum in aliquo qualicunque verbo appareat.* Minimum quodvis murmuris verbum excludit. Et quod majus eſt, nec internum murmur patitur. Minatur enim, ſi *in corde murmuraverit, quod pœnam murmurantium incurrat.* Murmur quippe graviter affligit illum, contra quem effunditur. Nemo tam ſtupidus eſt, qui animo nullam ſentiat moleſtiam; dum incidit in ora ad murmurandum procliva. Licet enim juſtis non multum curæ ſit favor, aut gloria hominum. Deo vivunt, non hominibus. In cœlo cives ſunt, non ſuper terram. Illic præmia, & laudes exſpectant, non hic. Attamen linguis murmurantium, vel quia quiete Deo ſervire non poſſunt, vel quia inimicorum ſuorum ſortem deplorant, graviter cruciantur. Tu, ne Confratrem, aut Superiorem unquam affligas, quodvis murmurationis verbum ſummopere devita.

PUNCTUM TERTIUM.

GRande malum est murmuratio, ita, ut SS. P. N. districte inhibeat, *ante omnia, ne murmurationis malum in significatione appareat.* Neque signum murmuris admittit. Murmur namque præ omnibus nocet murmuranti. Exemplo sint Maria, & Aaron. Murmurabant contra Moysen, quod Æthiopissam duxerit. Et ecce! Maria facta est leprosa sicut nix. Moysis vero laudes ipse Dominus enarravit. Haud secus & conscientiam, & famam propriam maculant, qui vel leviter murmurant. Glorificabitur a Domino, qui fideliter permanebit cum illo in tentationibus murmurantium. Ne tibi ipsi noceas, ab omni penitus murmure abstine.

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religiose! pro qualibet causa non murmuras? Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. An non murmuras in qualicunque verbo? Omnia facite sine murmurationibus, & hæsitationibus. An non murmuras in qualicunque significatione? Ortum est murmur populi, & accensus est in eos ignis Domini. Dole, quod hanc sacram Regulam toties transgressus sis. Propone

1. Pro qualicunque causa,
2. In qualicunque verbo,
3. Vel significatione non murmurare.

DIES

DIES X.

De Diſcretione.

Teſtimonia Diſcretionis, matris virtutum, ſumens, omnia temperet. Cap. 64. v. 25.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctiſſimus Pater N. nullo elegantiori eloquio nobis S. Diſcretionem commendare potuit, quam cum dixit: *Teſtimonia Diſcretionis matris virtutum ſumens omnia temperet.* Tu ergo, ut hanc Diſcretionem obtineas, diſce medium tenere. Neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declina. Ad dexteram autem declinabis, ſi nimium virtuti e. g. abſtinentiæ inſiſtis. Virtutem namque perdis, dum ita abſtinentiam ſequeris, ut alia tibi auxilia de carne ſubtrahas. Ad ſiniſtram pergis, cum remiſſius in virtute agis. Quando enim tepeſcis, paulatim ſolum tibi remanet vitium. O quam neceſſaria eſt virtus Diſcretionis. Diſcretio eſt lucerna, quæ univerſas noſtras actiones dirigere debet. Diſcretio eſt oculus, qui totum vitæ ſpiritualis corpus lucidum reddit. Quod ſi fuerit nequam, totum tenebris vitiorum ſcatebit.

PUNCTUM SECUNDUM.

UT *teſtimonia Diſcretionis matris virtutum ſumens, omnia temperes*, veram humili-

militatem difce. Cujus humilitatis hæc erit probatio. Si examini Seniorum, aut Superiorum refervas univerfa, quæ agis, aut agenda occurrunt. Si in nullo tuo judicio acquiefcas. Si per omnia informatione illorum agnofcas, quid debeas judicare bonum, vel malum. Sic femper recta incedes via. Nunquam aberrare poteris. Cur enim Saul ad finiftram declinavit? Suis adinventionibus potius, quam Samuelis præceptis credidit. Cur tefte S. Antonio magno tot Anachoretæ, qui jejuniis, & vigiliis, folitudini, & perfectæ abrenunciationi, operibus mifericordiæ, & orationi infiftebant, in fine decepti funt? Suo non aliorum judicio credebant. Difcretione caruerunt. O quam fecura eft Difcretio! non immerito toties eandem a nobis exigit in Regula fua Difcretione præcipua SS. P. N.

PUNCTUM TERTIUM.

UT *teftimonia Difcretionis matris virtutum fumens, omnia temperes, qualiter animam falves,* difce *nihil agere, nifi quod communis Monafterii Regula, vel Majorum cohortantur exempla.* Dum pergis communis Regulæ via, procul eris & ab exceffu, & a defectu. Et fi Majorum exemplis infiftis, femper Difcretione comite viam mandatorum Dei curres. Utroque modo ignoranti non decipieris. Non nimis fervore a virtutis profectu laffaberis. Non concupifcentiam, fed neceffitatem in omnibus attendes. Nec ferpens infernalis fub fpecie Angeli

geli lucis tibi illudet. Sine perturbatione, sine tristitia, sine gravi labore, sine errore vocationi tuæ satisfacies. O quantam pacem parit Discretio! sequere igitur exempla Majorum. En! ipsemet SS. Pater tuus proponit exemplum Patriarchæ Jacob. *Opera discernat, & temperet, cogitans Discretionem sancti Jacob dicentis: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die.*

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! ad obtinendam Discretionem medium tenes? Prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus vita, & pax. An ad obtinendam Discretionem totus pendes ab arbitrio Patris spiritualis? Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. An ad obtinendam Discretionem Seniorum exempla sequeris? In Senibus prudentia. Dole, quod hoc donum Spiritus sancti tamdiu obtinere neglexeris. Propone ad obtinendam Discretionem

1. Medium tenere,
2. Arbitrio Patris spiritualis te subjicere,
3. Exempla Majorum sequi.

DIES XI.

De Silentio poſt Completorium.

A Completoriis nulla ſit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Cap. 42. v. 6.

PUNCTUM PRIMUM.

TRia SS. P. N. pro nocturno Silentio, *a Completoriis nulla ſit licentia denuo cuiquam loqui aliquid*, requirit. Primum eſt, ut *a Completoriis nulla ſit licentia loqui aliquid.* Omnem licentiam loquendi tollit. Etiam utilia loqui prohibet. Nocte quippe cum Examini nocturno, recollectioni ſpiritus, nec non quieti corporis vacandum ſit, merito tam ſtrictum indicitur ſilentium. Neceſſitas, & charitas hoc ſuadent. Charitas quidem, ne unius garrulitate, ſtrepitu, aut quovis tumultu alterius quies turbetur. Neceſſitas autem, ut in ſilentio ſpiritus per varia de die negotia diſperſus recolligatur. Impoſſibile namque eſt, quin mens per reſolutionem linguæ, aut per diverſos labores non diſpergatur. Nocturnæ autem horæ, & quies aptiſſimæ ſunt ad recuperandum ſpiritum devotionis. Quis ergo tam temerarius ſit, ut hanc S. Regulam prævaricare auſit?

PUNCTUM SECUNDUM.

ALterum eſt, ut *nulla ſit licentia loqui cuiquam.* Quibus neminem a ſilentio nocturno

no excipit, nisi illum, qui cum superveniente hospite, aut interrogante Abbate loqui debet. *Quod tamen & ipsum cum summa gravitate, & moderatione honestissime fiat.* Plus enim homines ædificantur religiosa taciturnitate, quam multo, ac longo discursu. Atque alias cum Superiore plus loquendum non est, quam expedit. Et cur noctu nimium loquamur? Tempus nocturnum, & ipse somnus ipsius est imago mortis. Quis in tam tristi imagine ausit loqui, qui nescit an ea nocte non sit moriturus.

PUNCTUM TERTIUM.

TErtium est, ut *qui inventus fuerit prævaricari hanc taciturnitatis regulam, graviori vindictæ subjaceat.* His absterret a nocturni silentii fractione. Et quis non timeat vel minimo nutu nocturnum violare silentium? Nunquam magis quam de nocte dominatur princeps tenebrarum. Aliis illudit somniis. Alios spectris inquietat. Alios perturbat, & terret. In quos vero majus jus sibi vendicet, quam qui hanc taciturnitatis regulam ausi fuerint prævaricari? Tu ergo non tam timore regularis disciplinæ, quam potestatis tenebrarum time nocturnum frangere silentium.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! nocturno tempore non loqueris? Si non ex necessitate, ex charitate saltem tace. An nocturno tempore moderate ex obedientia loqueris? Fors hac nocte

repe-

repetent a te animam tuam. An times ob poſtatem tenebrarum vel minimo nutu nocturnum violare ſilentium? Nox eſt poteſtas tenebrarum harum. Dole, quod toties nocturnæ taciturnitatis regulam transgreſſus fueris. Propone

1. Nocturnum ſervare ſilentium ex charitate.
2. Ex obedientia moderate noctu loqui.
3. Timere violare nocturnum ſilentium ob poteſtatem tenebrarum.

DIES XII.

De Lectione ſpirituali ante Completorium.

Dicta Veſpera parvo intervallo mox accedant ad lectionem collationum. Cap. 42. v. 4.

PUNCTUM PRIMUM.

PRimo de hac Lectione SS. P. N. ſtatuit: *Dicta Veſpera parvo intervallo mox accedant ad lectionem collationum, vel vitas Patrum, aut certe aliquid, quod ædificet audientes.* Nihil quippe ſic ſpiritum recolligit ad orationem. Nihil ſic cor diſponit ad compunctionem. Nihil ſic animum imbuit ſanctis ante ſomnum cogitationibus. Nihil ſic ſomnum ſancti-

sanctificat, quam Lectio sacra. Unaquæque siquidem dies suam cum animo afferat caliginem ex variis negotiis, & curis; noctes quoque diurnas curas excipientes, per easdem rerum species imposturam menti factitabunt. At qui per Lectionem sacram omnes aliæ imaginationes, & curæ facile eliduntur, ut mens super se, & terrena omnia elevata in Deo solo stabiliatur. Talis autem revera cum Propheta dicere potest: In pace in idipsum dormiam, & requiescam. O quam purum & sanctum oportet illum esse somnum, qui cum tanta cordis pace capitur.

PUNCTUM SECUNDUM.

SEcundo de hac S Lectione SS. P. N. statuit, ut *per hanc moram lectionis si quis forte in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat.* Tanti hanc sacram Lectionem æstimat, ut neminem, quovis in negotio fuerit occupatus, ab ea velit exemptum. Hac in re sicut in cæteris omnibus secutus est antiquos Patres. Ipse quippe ad exemplum illorum totas noctes divinis sermonibus, & lectionibus insumpsit. Hujus testes sunt Servandus Diaconus, & SS. Soror ejus Scholastica. Voluit & nos eorum vestigiis saltem a longe insistere, ut ex prævia lectione ante somnum ædificaremur. O quanta animi devotione hi sanctissimi Viri de rebus cœlestibus per integras noctes conferebant! necessarii somni obliviscebantur, Ita cœlesti abundabant consolatione.

Quan-

Quantum inde virtutum profectum hauriebant! de die in diem acriorem contra vitia pugnam inibant, & de virtute in virtutem gradiebantur. Tu ſi totam noctem ſacris lectionibus,& meditationibus adhuc inſumere non vales, ſaltem nunquam hanc ſacram Lectionem ante Completorium intermitte.

PUNCTUM TERTIUM.

TErtio SS. P. N. de hac ſacra Lectione ſtatuit, ut *omnes in unum poſiti compleant*. Hiſce SS. Pater nobis inculcat, ut non ſolum ſpiritum,ſed etiam cor recolligamus. Dignum enim eſt, ut, qui unam ſub uno Domino militiam tota die ſuſtinuerunt, etiam omnes in unum poſiti ſtipendia ſui laboris expectent. Juſtum eſt, ut ii, qui forte per ſcandalorum ſpinas de die charitatem expunxerunt, ad Veſperas per illamDominicam ſponſionem ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris in ſe reverſi, charitatem in unum poſiti opere compleant. Dignum, & juſtum eſt, ut ii, qui omnes in Chriſto unum ſunt,omnes pariter in unum poſiti & per lectionem ſpiritum, & per affectum orationis charitatem ſimul compleant. Dignum, & juſtum eſt, ut qui tota die ſimul contra ſpirituales nequitias decertarunt, etiam in unum poſiti victoriam contra nocturnas inimici inſidias unitis precibus ſibi obtineant. Væ illi, qui tantas gratias negligit! non viſitabit eum Dominus. Ibi ſolum eſt, ubi duo, aut tres ſunt in nomine ejus congregati.

PUN-

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religiose! spiritum recolligis per Lectionem ante Completorium? Semper magni habita fuit ista Lectio a sanctis Ordinis nostri. An non propter Officium, aut functiones tuas eam omittis? SS. Pater expresse statuit, ut etiam ob ista non intermittatur. An etiam cor per istam Lectionem ad charitatem recolligis? Charitas operit multitudinem peccatorum, quæ de die commisisti. Dole, quod tam faciliter istam sacram Lectionem omiseris. Propone

1. Ad recolligendum spiritum, &
2. Cor,
3. Nulla obstante functione Lectioni ante Completorium interesse.

DIES XIII.

De Jejunio Autumnali.

Ab idibus autem Septembris usque ad caput Quadragesimæ ad Nonam semper reficiant. Cap. 41. v. 5.

PUNCTUM PRIMUM.

TRinum SS. P. N. nempe Quadragesimale, Æstivale, & Autumnale indicit Jejunium. De quo ultimo præcipit:

pit: *Ab idibus autem Septembris usque ad caput Quadragesimæ ad Nonam semper reficiant.* Ita amans Jejunii fuit, ut ferme per totum annum jejunaverit, & suos jejunare voluerit. Et cur? Jejunium carnis robur edomat. Desideria carnis extinguit. Impuros humores exsiccat. Et dum debilitatur corpus, anima vegetatur. A passionibus malis liberatur. A noxiis cogitationibus purgatur. A desideriis perversæ voluntatis præservatur. Hos Jejunii effectus non sentiunt illi, qui uno quidem die jejunant, sed altero satiando se ita explent, ut esca vix sequenti die digeratur. Illi igitur bene jejunant, qui communibus contenti alimentis etiam modum quotidie prandentium non excedunt. Tu ergo si juxta consuetudinem Monasterii tui non permitteris ab hac die usque ad caput Quadragesimæ jejunare, saltem in diebus Jejunii istam S. Petri Damiani de Jejunio Regulam observa.

PUNCTUM SECUNDUM.

AB idibus Septembris usque ad caput Quadragesima ad Nonam semper reficiant. Et cur tam diuturnum SS. Pater nobis injungit Jejunium? Jejunium mentem ad Deum levat. Castitatem perfectam gignit. Orationem puram procreat. Consolationem sancti Spiritus meretur, ut sine impedimento cum inenarrabili gaudio ad spiritualia exercitia incumbamus. Hinc est, quod SS. Patres

tres Ordinis noſtri hoc Jejunium tam ſevere cuſtodierint usque ad Paſcha, ut ſe jejunaſſe teſte S. Petro Damiano minime crediderint, ſi præter panem cum ſale, & aqua aliud quid guſtaſſent. Tu ſi hoc Jejunium obſervare vel non audes, vel non vis, ſaltem ita corpus ſemper refice, ut a menſa ſine difficultate S. Exercitiis intendere poſſis.

PUNCTUM TERTIUM.

AB idibus Septembris usque ad caput Quadrageſimæ ad Nonam ſemper reficiant. Et cur tam longum SS. Pater noſter præſcribit Jejunium? Jejunium Monachum officii ſui, quod eſt ſua, & aliorum peccata plangere, jugiter admonet. Nonne Ninivitæ jejunarunt, ut digne peccata ſua plangerent? Nonne populus Bethuliæ humiliavit animam ſuam in Jejunio, ut veniam peccatorum ſuorum mereretur, atque ab obſidione Holofernis liberaretur? Nonne David jejunavit, ut Deus illi remitteret pœnam peccati ſui, ac infantem vivum conſervaret? Semper ſanctis Patribus Jejunium pars pœnitentiæ fuit. Tu ergo, ut officio quoque tuo ſatisfacias, ſi non vales hoc Jejunium pro ſemper obſervare, ſaltem cum debes jejunare, Jejunium ama, atque in memoriam hujus Jejunii de omni cibo, & potu aliquam abſtinentiam facito.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! ab idibus Septembris usque ad Pascha jejunas, aut saltem strictius Jejunia consueta in Monasterio tuo observas? In omnibus exhibeamus nos, sicut Dei ministros in Jejuniis &c. An saltem ita moderate corpus ab hoc tempore reficis, ut statim a mensa spiritualibus exercitiis vacare possis? Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus dixit Spiritus sanctus. An saltem aliquam abstinentiam de omni cibo, & potu facis? Nunc ergo dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, in Jejunio, & fletu, & planctu. Dole, quod de isto Jejunio vix cogitaveris. Propone saltem in memoriam illius,

1. Consueta Jejunia strictius observare.
2. Moderatius solito corpus reficere.
3. Aliquam saltem abstinentiam de victu facere.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

DIES XIV.

Quomodo Religiosus operi Dei nihil præferre debeat.

Nihil operi Dei præponatur. Cap. 43. v. 1.

PUNCTUM PRIMUM.

PRæcipuum officium Monachorum suorum SS. Pater Noster voluit esse Psalmodiæ sacræ

cræ incumbere: dum ait; *nihil operi Dei præponatur*. Secutus est Patres antiquos, qui & ipsi statuerunt; Monachi officium esse, puram Deo orationem offerre. Porro ad mentem SS. Patris *nihil operi Dei præponit*, qui super omnia alia negotia, & exercitia opusDei æstimat. Et quis ita non æstimet? Omnis quidem Scriptura divinitus inspirata est utilis; at unus Psalmorum liber omnem utilitatem, & medelam animarum complectitur. Leges quippe sancit vitæ sanctius instituendæ, atque cuivis agenda præscribit, & submonet. Vulnera peccatorum persanat, quantalibet vetustate occalluerint. Vulneri recens inflicto celerem, citamque adfert emendationem. Quod integrum, & incolume est, tuetur, ac servat. Hoc vero totum agit, cum amæna quadam deductione, ac moderata jucunditate animorum, quæ menti honestas inserit cogitationes, & puros virtutis affectus. An ergo poteris aliquod sacrum exercitium Psalmodiæ anteponere?

PUNCTUM SECUNDUM.

Operi Dei nihil præponit, qui ad horam Divini officii, mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus, quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione currit. Etenim cum digne, & super omnia quis æstimaverit sacram Psalmodiam, merito omni festinatione, & cordis desiderio ad eam festinabit. In cujusquoque corde amor, & fervor laudis Divinæ exarserit, tardare ad opus Dei nunquam poterit.

Sicut cervus ad fontes aquarum,ita ad cantum Psalmorum ipse desiderabit. Et quem delectat meditatio Mysteriorum Creationis, Redemptionis &c., quomodo adPsalmodiam non currat? Aut cui quotidianus in virtute profectus cordi est, cur non toto mentis affectu ad Psalmodiam anhelet? Qui tristis est, tentatus, aut quavis adversitate oppressus, quare S. Psalmodiæ non libenter intendat, in qua verum obtinebit solatium? Qui beneficiis Dei lætatur, quo potius quam S. Psalmodia se gratum ostendat? An ergo poteris aliquod pium exercitium S. Psalmodiæ præponere?

PUNCTUM TERTIUM.

OPeri Dei nihil præponit, qui nullam horam omittit in Choro,& quavis de causa impeditus, *ingreditur intus, ut nec totum perdat.* Ingens sane jactura est, quantumvis parvum a communi Psalmodia perdatur. Christus in medio Psallentium est. Christus uberrime suas gratias illis communicat. Christus hac concordi Psalmodia multo magis, quam privata oratione honoratur. Et sæpe fit, ut qui negligenter, & tepide psallit, alterius fervore, & charitate ad devotionem accendatur. Væ illis, qui levi ex causa Chorum devitant! væ illis! qui somno, otio, aut fabulis libentius, quam S. Psalmodiæ vacant! steriles, atque aridi in omni suo exercitio, & negotio manent. Non solum nil merentur, quævis etiam agant, sed pro

inobe-

inobedientia sua pœna digni sunt. Tu *operi Dei nihil præpone.*

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! nihil operi Dei præponis illud super omnia æstimando? In Psalmis reconditus est Divinæ Sapientiæ thesaurus. An operi Dei nihil præponis statim Chorum accedendo? Ex festinatione ad opus Dei colligitur fervor devotionis. An operi Dei nihil præponis Chorum nunquam negligendo? In Psalmodia promptuarium omnium bonorum invenitur. Dole, quod operi Dei quævis prætuleris. Propone operi Dei nihil præponere

1. Super omnia illud æstimando.
2. Statim Chorum accedendo.
3. Nunquam illum negligendo.

DIES XV.

Quod Religiosus extra communem Refectionem nihil cibi, aut potus sumere debeat.

Nec quisquam præsumat ante statutam horam, vel postea quicquam cibi, vel potusumere. Cap. 43. v. 10.

PUNCTUM PRIMUM.

NUnquam homo Religiosus fiet, qui extra tempus cibum, aut potum sumere consueverit. Inordinata hac cupiditate paulatim omnem mortificationem amittet. Hinc SS. Pater Noster statuit; *nec quisquam præsumat ante statutam horam, vel postea quicquam cibi, vel potus sumere. Nec ante statutam horam.* Solet quippe Dæmon nonnunquam tam intempestiva esurie vexare, ut vix superari posse videatur. Nonnunquam delicias cibi, aut potus proponit, ut iis inescemur. Ex eo namque, quo primos Parentes nostros per gulam superavit, nos quoque per eandem vincere nunquam desistit. Et quidem ante statutam tanto vehementius nos impugnat, quanto acrius ipsa natura illo tempore cibum exigit, aut potum. Scit per prævaricationem hujus regulæ, & in leges temperantiæ, & obedientiæ peccatum iri. Tu sequere illum Eremicolam. Dic tentatori: Post horam comedes. Elapsa hora solum adhuc per horam exspectabis; donec statuta hora advenerit.

PUNCTUM SECUNDUM.

N*Ec quisquam præsumat ante statutam horam, vel postea quicquam cibi, vel potus sumere. Vel postea.* Nimis intemperans sit, qui communi refectione contentus non est. Valde deliciis cibi, & potus addictus sit, qui

præter

præter communem victum aliunde gulam suam satiare contendit. Nonne talis immortificati Religiosi Deus venter est? Audi, quam terribiliter ejusmodi gulosus luat. Narrat S. Petrus Dam. Monachus quidam prurientis gulæ stimulo agitatus, frixuram quandam cum extra tempus comedisset, tanto mox luxuriæ ardore exarsit, ut quod eatenus non fecerat, contra puritatem ageret. Sic una concupiscentia trahit post se aliam. Et qui vocationis suæ legibus contradicit, legem membrorum suorum rationi, & voluntati suæ contrariam experiri debebit. Time ergo hanc regulam transgredi. Etenim si SS. Pater Valentiniani Fratrem, quia extra statum tempus corpus refecit, tam dure increpavit, qualiter Religiosum Regulam suam professum in judicio accusabit?

PUNCTUM TERTIUM.

NEc *quisquam præsumat ante statutam horam, vel postea quicquam cibi, vel potus sumere.* Duos tantum casus excipit, in quibus statutam horam prævenire concedit. Primus est: *Si cui offertur aliquid a Priore & accipere renuerit: hora, qua desideraverit hoc, quod prius recusavit, aut aliud omnino nihil percipiat usque ad emendationem congruam.* Obedientia namque semper melior, quam victimæ abstinentiæ. Alter est. *Ut senes præveniant horas canonicas, ita tamen, ut & Regulæ auctoritas eis prospiciat. Ipsa*

equidem natura humana trahitur ad misericordiam in hac ætate. Vide ex his, quanti SS. Pater faciat obedientiam. Vult, ut eam jejunio, & abstinentiæ præponamus. Exigit, ut etiam senes, & infirmi sine obedientia S. Regulæ nihil præsumant. Quæ enim opera ex obedientia ortum non habent, merito carent. Quid ad ista Religiosus, qui furtive passim deliciis cibi, & potus inhiat?

PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, o Religiose! ante statutam horam nunquam corpus reficis? Jonathas; quia ante statutam horam parum mellis gustavit, sententiæ mortis se obnoxium fecit. An postea nihil cibi, aut potus percipis? Filii Israel fastidiendo manna per concupiscentiam carnis iram Dei provocaverunt. An ex obedientia duntaxat extra statas horas comedis? Elias, quia ex jussu Angeli comedit panem subcinericium, ambulavit in fortitudine cibi illius ad montem Dei. Dole, quod hanc legem temperantiæ toties violaveris. Propone

1. Ante statutam horam,
2. Vel postea,
3. Nisi ex obedientia cibum, aut potum non sumere.

DIES XVI.

De Officio Cantoris.

Cantare autem, aut legere non præſumat, niſi qui poteſt ipſum officium implere, ut ædificentur audientes. Cap. 47. v. 3.

PUNCTUM PRIMUM.

DUm SS. Pater Noſter illum, qui, cantare, aut legere non poteſt, ab Officio Cantoris hiſce arcet; *Cantare autem, aut legere non præſumat, niſi qui poteſt ipſum officium implere, ut ædificentur audientes*: Ei, qui cantare, aut legere poteſt, tria pro ædificatione audientium præſcribit; *Quod cum humilitate, & gravitate, & tremore fiat, & cui juſſerit Abbas.* Primum eſt, ut *fiat cum humilitate.* Licet enim Monachus ſcite cantet, non ædificabit audientem, niſi etiam humilis fuerit. Non placuiſſet Sponſo vox dulcis Sponſæ, ſi decorem humilitatis in facie non præſetuliſſet. Ait quidem; ſonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis: at mox ſubdit; & facies tua decora. Scandalo patet, qui voce dulcedinem, facie vero ſuperbiam ſpirat. Nihil enim ſic oculos aſtantium offendit, quam notata in homine humilitatem profeſſo ſuperbia. Tu indignum te reputa, ut cantes,

aut legas, etſi poſſis; tunc cantus tuus ædificabit audientes. Conſolabitur namque triſtia corda; mentes hominum lætificabit; faſtidioſos oblectabit.

PUNCTUM SECUNDUM.

ALterum eſt, ut *fiat cum gravitate, & tremore.* Dominus Deus univerſorum enim præſens eſt. Aſtant Angelici Spiritus, ut inde recreentur. Adeſt populus fidelis, ut ædificetur. Magna igitur gravitas, magnus tremor merito Cantorem occupet, ne Deum & Angelos offendat, aut audientes ſcandalizet. Nonne cantus ipſius plenus erit gravitate, ut nec laſciviam reſonet, nec ruſticitatem? Nonne ſic ſuavis erit, ut non ſit levis? Nonne ſic mulcebit aures, ut moveat corda; triſtitiam levabit; iram mitiget; ſenſum litteræ non evacuet, ſed fœcundet? Non eſt levis jactura gratiæ ſpiritualis levitate cantus abduci a ſenſuum utilitate: & plus ſinuandis intendere vocibus, quam inſinuandis rebus. Tu ſemper cum gravitate, & tremore canta, aut lege; & ſicut cibus in ore comedentium, ſic pſalmus ſapiet in corde audientium.

PUNCTUM TERTIUM.

TErtium eſt, ut fiat cum obedientia, id eſt, *cui juſſerit Abbas.* Ex obedientia namque cantandum eſt; ſecus cantus nec Deo gratus, nec hominibus fructuoſus erit. Non

enim

enim ſtudium bonæ actionis, nec otium ſanctæ contemplationis, nec lachrymæ pœnitentis vel utilia mortalibus, vel accepta poterunt eſſe illi, qui tanti habuit obedientiam, ut vitam, quam ipſam perdere maluerit, factus obediens usque ad mortem pro ſalute hominum. Hæc duntaxat omnem actionem facit meritoriam, & ad cœleſtem vitam proficuam. Unde SS. Patri nec Pſalmodia placet, niſi eam ſancta condierit obedientia. Quare? *Quia quod ſine permiſſione Patris ſpiritualis fit, præſumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi.* Tu ſi fructuoſe pro tua, & audientium ſalute legere, aut cantare vis, Officium Cantoris imple ex obedientia.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! cantas cum humilitate? Humilis non audiri appetit. An cum gravitate cantas? Cantus, niſi eccleſiaſticam redoleat gravitatem, audientibus offendiculo eſt. An cum obedientia cantas? Obedientia Pſalmodiæ, devotionis conciliat ſaporem. Dole, quod hactenus Officio Cantoris non ad ædificationem audientium functus fueris. Propone

1. Cum humilitate,
2. Cum gravitate, & tremore,
3. Cum obedientia legere, aut cantare.

DIES XVII.

De servando Ordine Diei.

Omnia horis competentibus compleantur. Cap. 47. v. 1.

PUNCTUM PRIMUM.

ORdinis plane amantissimus fuit SS. Pater Noster, unde non solum ad vitandam otiositatem singulis temporibus, & horis sua exercitia præscripsit; sed secundum hunc ordinem exacte vixit. Testis est rusticus ille, qui sibi filium suum a morte resuscitari petiit. Offendit ipsum revertentem cum Fratribus de agro. Testis est Gothus ille, qui rusticum brachialoris adstrictum ante equum suum usque ad Benedictum impulit. Offendit ipsum solum sedentem, & legentem. Servavit namque illud: *Omnia horis competentibus compleantur.* Necessarium hoc est ad profectum quotidianum. Quomodo enim proficiet, qui semper aliud agit, quam quod voluntas Dei, S. Regula, Statuta Ordinis, & Superiorum mandata requirunt? Plane ad Dei amorem ceu finem Regulæ tendere non possunt, quæ ex ipso non proveniunt. Omnia equidem; quæ ex Deo sunt, qui charitas est, ordinata sunt. Et sine ordine ad eam non pervenitur. Sic Sponsa cœlestem suum Sponsum laudat, quod in

in se ordinaverit charitatem. Quare non proficis? Exercitia tua non ordinatim peragis; multa turbatim agere cum solicita Martha gestis; ab uno ad aliud volas; nihil absolutum agis; verbo; unum illud Mariæ Magdalenæ necessarium pro unaquaque hora relinquis. Custodi ordinem, ut ipse te custodiat a quotidiano defectu.

PUNCTUM SECUNDUM.

NEcessarium est, ut *omnia horis competentibus compleantur*, ad discretionem obtinendam. Qui enim voluerit uni tantum exercitio omnes horas consecrare, necesse est, ut tali exercitio lassatus limites discretionis transgrediatur. Hinc est, quod SS. Pater asserat; *certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum, certis iterum horis in Lectione divina*, & certis horis in opere Dei. Hac de causa per duo capitula singulas horas, quibus quid agendum, assignat. Ideo tam exactam exigit operis obedientiam ad quamlibet horam, ut *relictis omnibus, quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur ad opus obedientiæ.* Unde in labore tantam desidiam, in oratione tepiditatem, in Lectione nauseam sentis? Diutius iis immoraris. Sane S. Antonius magnus hoc ipso tædio laboravit; donec ab Angelo didicit, certis quodvis opus horis absolvere. Custodi Ordinem, ut ipse te custodiat ab excessu, & defectu in bono.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

NEceſſarium eſt, *ut horis competentibus omnia compleantur*, ad acquirendam Perſeverantiam. Quocunque enim rerum occurſu ad alia, & alia mutabitur animus, niſi certo, & conſtanti diei ordine immutabilis conſervetur. Pro! quantum ſalutis periculum illi non incurrunt, qui omnem regulæ communis Monaſterii ſui ordinem invertunt, & evertunt? Qui perſeveraverit in finem, ſalvus erit. Virtus nimirum boni operis perſeverantia eſt. Huic ſoli redditur corona juſtitiæ. Quid enim prodeſt eſſe bonum, niſi perſeveraveris bonus eſſe usque in finem? Bonus erat Saul, & optimus, quia docet Scriptura, quod non erat vir melior eo in populo Iſrael. Sed ad quid devenit? Cecidit, cecidit, & reprobus factus eſt. De quantis legimus in vitis Patrum, viris potentibus in vigiliis, & in jejuniis, in laboribus ſupra humanum modum, imo & in miraculis coruſcantibus, qui miſere ceciderunt; quia non perſeverarunt. Finis, non pugna coronat. Nemo vero coronabitur, niſi qui legitime, id eſt, ordinate certaverit. Cuſtodi ergo Ordinem, ut ipſe te cuſtodiat ab inſtabilitate.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! Ordinem ſervas ad proficiendum? Voluntas Dei ſanctificatio

tio nostra est. An Ordinem servas ad obtinendam Discretionem? Ordo in actionibus defectum, & excessum declinat in bono. An Ordinem servas ad obtinendam perseverantiam? Laudatur navigantis felicitas cum ordinatim navigando venerit ad portum. Dole, quod tam parvi æstimaveris ordinem diei invertere. Propone eundem diligentissime custodire

1. Ad profectum,
2. Ad Discretionem,
3. Ad perseverantiam obtinendam.

DIES XVIII.

Quod nullus Fratrum accedere debeat alium Fratrem tempore incompetente.

Neque Frater ad Fratrem jungatur horis incompetentibus. Cap. 48. v. 19.

PUNCTUM PRIMUM.

MErito SS. Pater Noster præcipit: *Neque Frater ad Fratrem jungatur horis incompetentibus.* Otium istud proscribit præceptum. Otiosi namque est hinc inde discurrere, alios invisere, & tempus otioso circuitu transigere. Verum quis otiositatem istam non fugiat? *Inimica est animæ;* pulvinar Diaboli; omnium malarum cogitationum sentina; cunctorum desideriorum infelix mater; universorum scelerum origo. Quicunque

autem

autem in cella perſiſtere nequit, otiatur. Et qui in cella opus injunctum non agit, neque in ea ſubſiſtet. Otium mox illum foras vagari coget. Tu non ſolum hoc age, ut diem cum delectatione ſine excurſu in cella tranſigas, ſed ut etiam peracta diæta ad profectum mentis ſemper aliquid reſideat. Nec enim ea die bonus cellita ſe vixiſſe debet æſtimare, in qua nil eorum ſe egiſſe recolit, propter quæ in cella vivitur.

PUNCTUM SECUNDUM.

NEque *Fratter ad Fratrem horis incompetentibus jungatur.* Otioſas fabulas lex iſta prohibet. Qui enim tota die diſcurrunt, quid aliud agunt, quam ut otioſe fabulentur? Conſolari quærunt per ejusmodi fabulas; at dum hora tranſit, anxietas, & deſolatio prior redit, aut adhuc gravior. Qui tota die diſcurrunt, quid aliud agunt, quam ut quo in hac vita plus valent, eo ſibi linguæ fræna audacius relaxent? loquuntur perverſa quælibet, nullumque de verbis ſuis damnum metuunt. Iſtum contumeliis feriunt, illum maledictionibus jaculantur. Nunc de Superioribus murmurant, nunc de aliis conqueruntur. Etſi omni tempore in multiloquio peccatum non effugitur, plane peccatum eſt multiplex, cum ita extra licentiam quis confabulatur. Sede ergo tanquam paſſer ſolitarius in tecto; ita tu in cella tua. Opus tuum age, & ſecurus valde eris in judicio; ubi homines de quocunque verbo, quod locuti fuerint, reddent rationem.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

NEque Frater ad Fratrem horis incompetentibus jungatur. Talis quippe *non ſolum ſibi inutilis eſt, ſed etiam alios extollit.* Dum otioſus alios inviſit, ipſos quoque otioſos reddit; & quia cum Chriſto in cella confabulari renuit, foris ſilentium frangere non veretur. Non timet ſcandalizare Fratrem. Et tamen quale malum ſcandalum non eſt? Omnis culpa vere pœnitentis oblato ſacrificio deletur. At malum ſcandali niſi reſarcitum aut re aut voluntate non aufertur. Ab eo enim, qui ſcandalizavit Fratrem ſuum, ſacrificium Dominus non acceptat, niſi fuerit eidem reconciliatus. Quale, & quam multiplex ſcandali peccatum non eſt? Unus quidem otium, & fabulas inchoat; ſed paulatim imitando, quam plurimi ſubſequuntur. Ejus tamen principaliter culpa eſt, qui ſequentibus ſe exempla peccandi præbuit contra Regulam. Ne tali vitio inquineris, libenter incole cellam tuam. Nullibi talem reperies pacem.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! alium Fratrem ex otio non accedis? Multa mala docuit otioſitas. An non ex pruritu confabulandi Fratrem accedis? Qui neſcit linguam ſuam refrænare, hujus vana eſt religio. An non accedendo Fratrem eum ſcandalizas? Mittet Filius hominis Angelos ſuos & colligent de regno ejus omnia

ſcandala. Dole, quod tuo diſcurſu per cellas, & Monaſterium ſæpius & tibi inutilis, & aliis ſcandaloſus extiteris. Propone horis incompetentibus Fratri te non jungere,

1. Ut otium vites,
2. Ut fabulas declines,
3. Ut neminem ſcandalizes.

DIES XIX.

De Die Dominico.

Dominico die Lectioni vacent omnes. Cap. 48. v. 20.

PUNCTUM PRIMUM.

SEmper celebris fuit SS. Patri Noſtro dies Dominicus. Hinc ſpecialem a ſuis Diſcipulis requirit in eo devotionem. Primo equidem exigit, ut *Dominico die temperius ſurgatur ad vigilias.* Cur? Ut orationibus, & pſalmis magis, quam aliis diebus inſiſtant. Hæc eſt enim dies, in qua ampliſſima a Deo beneficia adepti ſumus. In hac Dominus Creationem mundi incepit. Quis igitur os ſuum non aperiat ad laudandum Creatorem ſuper judicia juſtitiæ ſuæ? Plane cuncta hæc Creatorem omnium Deum fatentur; ejus poteſtatem concorditer promulgant; & ipſius Magnificentiam laudant. Quis non per creaturas

Deum

Deum Creatorem cognoſcere, & amare ſtudeat? Omnis creatura reſpecta dat vocem atteſtationis, quod per oſtenſam ſpeciem Creatori ſuo quaſi vocem confeſſionis reddat. O me tepidum, qui hoc Divinum beneficium diebus Dominicis laudando Creatorem meum recognoſcere non ſtudui! neceſſe eſt, ut qui ab inviſibilibus per viſibilia male electa cecidi, per viſibilia bene conſiderata ad inviſibilia rurſum redeam, atque ex viſibilibus Deum laudare, & amare diſcam.

PUNCTUM SECUNDUM.

SEcundo exigit, ut meditemur; dum ait: *Si quis vero ita negligens, & deſidioſus fuerit, ut non velit, aut non poſſit meditari; injungatur ei opus, quod faciat, & non vacet.* Cur vult, ut meditemur? Hac die Chriſtus natus eſt, & glorioſe reſurrexit a mortuis. Unde ampliſſimam nobis meditandi præſtat materiam. Quid enim utilius, quam meditari in vita, paſſione, & gloria D. N. J. Chriſti? Utilis eſt Pſalmodia; utilis aliarum Scripturarum pia ruminatio; utilis creaturam conſideratio, ſi ad Creatorem referantur: At utiliſſima, & unice neceſſaria eſt humanitatis Chriſti memoria. Ipſa enim eſt præſens paſſionum, & inordinatarum affectionum exterminatio. Ipſa eſt opportunum tentationum refugium. Ipſa eſt ſuave anguſtiarum refrigerium. Ipſa eſt omnium virtutum fons. Ipſa denique totius perfectionis eſt abſolutiſſimum exemplar. O quam

male habebunt ingrata illa, & infelicia corda, quæ tanta beneficia, tanta amoris insignia diebus saltem Dominicis, quibus eorum recordatio ab universa Ecclesia recolitur, rememorare negligunt!

PUNCTUM TERTIUM.

TErtio præcipit, ut *Dominico die lectioni vacent omnes.* Et quare? Spiritus sanctus in lectione loquitur ad cor. Hac quippe die venit hic Divinus Spiritus in Apostolos; eorum intellectum suo lumine illustravit, & corda ipsorum suo charitatis igne accendit. Hinc merito SS. Pater requirit, ut in memoriam hujus mysterii lectioni vacemus. In hac quippe ex Divini Spiritus instinctu, & igne charitatis ipsius plurimam anima jucundatur. Ex hac ipsi dulcescunt quævis spiritualia. Per hanc munda conservatur; tranquilla redditur; contra tentationes roboratur; & eximium virtutum decorem accipit. Plane SS. Patres, & Eremicolæ hoc quoque modo dies Dominicos celebrant. Conveniebant simul ad Ecclesiam. Vacabant Psalmis. Audiebant, & prælegebant verbum Dei. Reversi in cellas suas meditabantur. O quam infructuose hucusque Dominicos dies impendi! potius requiei corporis, quam sacro animæ otio consecravi.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! dies Dominicos Creatori consecras per sacram Orationem, & Psal-

Pſalmodiam? In principio creavit Deus cœlum & rerram. An dies Dominicos Redemptori conſecras per piam meditationem humanitatis ejus? Natus ex Maria Virgine, & Homo factus eſt; Crucifixus etiam pro nobis, paſſus, & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die. An dies Dominicos conſecras Sanctificatori tuo per ſacras Lectiones? Cum complerentur Dies Pentecoſtes, factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis. Dole, quod tam parvam devotionem in diebus Dominicis habueris. Propone

1. Dies Dominicos Creatori per orationem,
2. Redemptori per meditationem,
3. Sanctificatori per lectionem conſecrare.

DIES XX.

Quomodo Opus Dei, extra Chorum, & in via peragendum ſit.

Agant ibidem Opus Dei. Cap. 50. v. 2.

PUNCTUM PRIMUM.

QUod SS. Pater Noſter revera nihil Operi Dei præpoſuerit, ſatis patet ex ſumma ejus ſolicitudine, qua præcipit primo; ut *Fratres, qui omnino longe ſunt in labore, & non poſſunt occurrere hora competen-*

ti ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita eſt, agant ibidem Opus Dei, ubi operantur. Sunt enim quidam ita inordinate ſuis laboribus & negotiis in itinere, ac extra Chorum intenti; ut vel nimium propterea horas differant, vel nimium anticipent. At ſatis dant intelligi, & quod a Spiritu SS. P. longe diſtent, & quod ferme omnia alia Operi Dei præponant. Plane multum devotionis perdunt, qui ita in Opere Dei negligentes exiſtunt. Dum enim tempora obſervantur, nunquam non ſingularis guſtus, & fructus percipitur. Unde ſancti Ordinis noſtri hujus Regulæ fuerunt obſervantiſſimi. S. Aichadrus, dum in tonſtrina recordatus horam Canonicam ſe præteriiſſe, etiam ſemiraſus occurrit. Et cum in itinere ita horas ſuas perſolveret, audire cœleſtes Spiritus meruit ſuaviſſima voce occinentes illud Pſal. Ibunt Sancti de virtute, in virtutem. Sequere. *Nec te prætereant horæ conſtitutæ.* Ideo Prima, Tertia, Sexta, &c. vocantur. Propter myſteria, quæ eo tempore acta ſunt, horæ canonicæ aſſignatæ fuerunt.

PUNCTUM SECUNDUM.

SEcundo præcipit, ut *agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore Divino flectentes genua.* A paucis ſane iſta Regula obſervatur. Nunc ſedent. Nunc ſtant. Nunc ambulant. Si vere ſe ſiſterent ante conſpectum Dei, & Sanctorum Angelorum, profecto genua flecterent. Quia vero mentem ſuam ad Divinam

præ-

præſentiam cum Davide erigere negligunt, dicendo: Quo ibo a Spiritu tuo? Quo a facie tua fugiam? Ideo etiam tremorem Divinum non habent. Diſtracti, tepidi remanent. Nec ullam fidei vivæ de Divina præſentia correſpondentem reverentiam Deo exhibent. Aliter ſancti Patres genuflexiones iſtas obſervarunt. Senex quidam ob continuam genuflexionem in oratione plusquam digitorum quatuor tabulam excavaverat. Nimis delicatus eſt, qui ob reverentiam Divinæ Majeſtatis hanc mortificationem corporis abhorret. Ad iſtam te ſemper excita illo verſiculo Pſalmiſtæ. Benedic anima mea Domino, in omni loco Dominationis ejus.

PUNCTUM TERTIUM.

TErtio præcipit, ut *ſimiliter, qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ: ſed ut poſſunt, agant ſibi, & ſervitutis penſum non negligant reddere.* Hiſce vult, ut omni poſſibili interna, & externa reverentia Opus Dei itinerantes peragant, nec ullum conſuetum Religionis exercitium omittant. Magna profecto negligentia, vel uni non ſatisfaciant. Sanctus quidam Abbas pro negotiis maximis, in aula cæſarea verſatus, cum unam ſolum horam conſueto tempore recitare negligeret, maximas pœnas in purgatorio ſuſtinere coactus eſt. Pro dolor! ſi nec ipſa neceſſitas excuſat a plena S. Regulæ obſervantia, quanta tormenta ſuſtinebunt, qui animi ſolum

relaxandi causa Opus Dei, & exercitia sua negligunt? Tu cum timore, & tremore tantum semper age, quantum potes. Fors semper adhuc minus ages, quam possis. Ad hoc cogita. Si hora ista transierit, quid nisi tristitiam super tristitiam habuero; quando neglexero debitum servitutis pensum. Benedic ergo anima mea Domino in omni tempore.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! extra Chorum horas canonicas suo tempore recitas? Septies in die laudem dixi tibi. An genua flectis? Adorate Dominum in aula sancta ejus. An etiam in itinere debitum servitutis pensum non negligis? Maledictus, qui facit Opus Dei fraudulenter. Dole, quod toties istam sacram Regulam non observaveris. Propone

1. Extra Chorum horas canonicas suo tempore recitare.
2. Ad illas genuflectere.
3. Nec in itinere debitum servitutis pensum negligere.

DIES

DIES XXI.

IN FESTO S. MATTHÆI APOST. ET EVANGEL.

De Abnegatione Vitæ.

Abnegare ſemetipſum ſibi, ut ſequatur Chriſtum. Cap. 4. v. 10.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctus Matthæus Apoſtolus, & Evangeliſta præprimis Chriſtum ſecutus eſt; dum ad unum verbum, ſequere me, ſe bonis vitæ abdicavit, telonium reliquit, atque omnibus mundi divitiis, & deliciis nuncium miſit. Idem a Te SS. Pater exigit; *Abnegare ſemetipſum ſibi, ut ſequatur Chriſtum.* An ſecutus es hanc vocem SS. Patris? Quomodo paupertas, & abdicatio cum bonorum hujus vitæ ſtudio concordant? Pauper non eris, quamdiu ita pauper eſſe volueris, ut nihil de bonis vitæ tibi deſit. Pauper non eris, quamdiu ſic diliges paupertatem, ut nullam inopiam patiaris. Pauper non eris, quamdiu in egeſtate triſtis, & puſillanimis invenieris. Si ſemel omnibus hujus vitæ bonis renunciaſti, quomodo eadem rurſus reſumes? Perfecta abdicatio eſt, frigus, & æſtum, eſuriem, & ſitim, atque omnia hujus vitæ incommoda

constanter tolerare. Et quis Religiosorum in hoc non sequatur S. Matthæum? Magna quædam penna est paupertatis, qua tam cito volatur in regnum cœlorum. Aliis virtutibus promissio futuro tempore indicatur; paupertati, & abdicationi non tam promittitur, quam datur; dum in præsenti tempore enunciantur. Beati pauperes; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

PUNCTUM SECUNDUM.

Abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum, est quieti vitæ hujus renunciare. Et hoc egregie præstitit S. Matthæus. Omnibus quippe voluptatibus, & repausationibus abstinuit. Laboribus Apostolicis unice intentus erat. Ubique verbum Dei seminavit. Idololatras convertit, aqua salutari abluit infideles. Et quantas proinde a Barbaris gentibus persecutiones non tulit? Qui quietem in hac vita quærit, in altera requiem non inveniet. Facile omnem laborem sustinebit, qui infelicem consideravit æternitatem. Ita respondit Senex quidam magnus Fratribus, qui eum interrogaverunt: Quomodo contentus es hic Abba, & sustines laborem hunc? Respondit: Totus labor temporis mei, quem hic sustineo, non est idoneus comparari ad unam diem tormentorum, quæ peccatores sustinent in futuro sæculo. Sine labore, & conatu multo, nunquam perfectionem Religiosam obtinebis. Sed o quam exigua difficultates te

a vir-

a virtute non absterret? *Statim refugis viam salutis, quæ non nisi angusto initio incipienda est.*

PUNCTUM TERTIUM.

PErfectio *abnegandi semetipsum sibi, ut sequatur Christum* demum est, ut quis ipsius vitæ cupiditate se abneget. Ita mori cupidus erat SS. Matthæus. Quotidie cupiebat dissolvi, & esse cum Christo. Nemo explicabit gaudium, quo in eadem ara, in qua antea Agnum immaculatum Deo obtulit, suum quoque sacrificium consummavit. Insipiens sit, qui hujus vitæ cupiditate teneatur. Quis enim est, quem non excruciet dolor, solicitudo non urgeat, non subruat timor? Risus fletum sequitur, gaudium tristitia comitatur. Esuriei succedit saturitas, saturitatem iterum excludit esuries. In nocte dies optatur, in die nox quæritur. In algore calor, in æstu refrigerium, ante cibum suspiria, post cibum tribulatio, iræ, indignationes exagitant, & innumerabiles miseros homines motus perturbant. Quis amet præsentem vitam? Vita hominis est tentatio super terram. Vix ad summa appetenda se erigit, mutabilitatis lubricæ impulsu protinus cadit. Vult in contemplatione stare, sed non valet. Cogitationis gressum figere nititur, sed infirmitatis suæ lapsibus enervatur. Hæc est vallis, quam Sancti exire semper disponunt, & ad illud inæstimabile bonum ascendere, quod nec in cor hominis ascendit.

PUN-

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! renunciasti bonis vitæ? Nisi quis renunciaverit omnibus, non potest meus esse Discipulus. An renunciasti quieti vitæ? Regnum Dei vim patitur, & non nisi violenti rapiunt illud. An renunciasti cupiditati vitæ? Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis. Dole, quod cum S. Matthæo non penitus te abnegaveris. Propone

1. Bonis Vitæ,
2. Quieti Vitæ,
3. Cupiditati Vitæ perfecte renunciare.

DIES XXII.

Quod foris non liceat manducare.

Non præsumat foris manducare. Cap. 51. v. 2.

PUNCTUM PRIMUM.

SEvere statuit SS. Pater Noster, ut *Frater, qui pro quovis responso dirigetur, & ea die sperat reverti ad Monasterium, non præsumat foris manducare; etiamsi a quovis rogetur; nisi forte ei ab Abbate suo præcipiatur.* Solent quippe ejusmodi convivia rursus pristinis sæculi actibus implicare. Quid enim facies ad convivia sæcularium, nonne hoc ipsum,

ipſum, quod ſæculares faciunt? Jactantiam, verba ſcurrilia, cupiditatem, & libidinem eorum in omnibus ſequeris. Ecce! ad convivia ſæcularium miniſtrat Diabolus, qui circuit quærens, quem devoret. Ad menſam Religioſorum miniſtrant Angeli, qui olim in Eremo Chriſto inſervierunt. Noli nimis tibi credere. Noli eſſe ſecurus. Ut piſces eſca, ita tu cibo, & potu ſæcularium capieris; rurſus affectu ad ſæculum redibis. O Monaſterium, dulciſſime Deo fruens! Quamdiu Religioſum fumoſarum urbium carcer delectabit. Quamdiu venenatæ ciborum deliciæ illum ad convivia ſæcularium allicient? Tu mente Paradiſum in Monaſterio obambula. Quam primum cum columba in arcam revertere. Cœleſtibus deliciis pro tranſitoriis fruere.

PUNCTUM SECUNDUM.

NOn præſumant foris manducare. Qui enim vel ſemel præſumpſerit, haud ſecus, ac corvus ille ex arca emiſſus ſemper redibit ad ſæculum; donec amplius non revertatur. Faſtidiet frugalem domi menſam, & lautam in ſæculo quæret; ubi fercula ferculis apponuntur. Cumque prioribus fuerit ſatiatus, ſi ſecunda attigerit, non videbitur ſibi guſtaſſe priora. Venter ibi neſcit, dum oneratur; nam varietas tollit faſtidium. Ipſa ibi rerum qualitas deforis apparere curatur, ut non minus oculus, quam guſtus delectetur. At quid hoc ignaviæ eſt, o Religioſi milites! ſociis in ſanguine,

guine, & cæde verſantibus, vos delicatos apud ſæculares cibos diligitis? Aliis, inquam, jejunio addictis, & corpus auſtere macerantibus, vos illud ciborum deliciis paſcitis? An dicitis pax, & non eſt pax? Cur non verecundamini ad exprobrationem Apoſtolicæ ſententiæ? Nondum enim reſtitiſtis uſque ad ſanguinem? Gulam niſi proſtraveritis, omnibus vitiis expoſiti patebitis. An ignoratis illud Prophetæ; adhuc eſcæ erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper illos?

PUNCTUM TERTIUM.

NOn præſumant foris manducare; niſi forte eis ab Abbate ſuo præcipiatur. Quodſi aliter fecerint, excommunicentur. Spiritu laboret, neceſſe eſt, qui foris manducare eſurit, aut bibere ſitit. Signum evidens eſt, quod ſpiritus mortificationis in eo ſit extinctus. Etenim revera nihil foris eſt, quod Monachum verum ſatiet. Sola mortificatio, & quam conſequitur, cœleſtis conſolatio, Religioſum ſatiant. Aliud ſi quærat, tribulationem, ſuper tribulationem habebit. Fieri namque non poteſt, quin carne reindutus revertatur e ſæculo, qui cibo foris reficitur absque Abbatis ſui imperio. Solum illud imperium facit, ut mox concoquat, quod ſine hoc ingerens ori, ſecum peſtem Spiritus reportat. Hinc eſt, quod SS. P. N. culpæ pœnitentiam præceperit illis Fratribus, qui absque licentia apud Religioſam fœminam comederant. Ni velis ſpiritum extin-

guere

guere, & castigari, hanc Regulam sedulo observa.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! non foris manducas ad vitandos sæculi actus? Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum. An non foris manducas ad refrænandam gulam? Flamma combussit peccatores. An non foris manducas ad conservandum spiritum? Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Dole, quod toties hanc sacram Regulam transgressus fueris. Propone sine licentia foris non manducare.

1. Ne sæculi actibus inquineris.
2. Ne gulæ incendio conflagreris.
3. Ne spiritu mortificationis priveris.

DIES XXIII.

De Bono usu Temporis.

Currendum, & agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat. Prolog. v. 32.

PUNCTUM PRIMUM.

CUrrendum, & agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat, ut hortatur SS. Pater. Primo ob brevitatem temporis. Motus quip-

quippe eſt tempus, ut ſtatum non habeat manſionis. Quia enim per ventura tendit ad eſſe, ſemper ex præteritis feſtinat non eſſe. Haud aliter & homo tranſit. Primus quidem homo ita conditus fuit, ut manente illo decederent tempora. At ubi vetitum contigit, mox offenſo Creatore cœpit ire cum tempore. Statu videlicet immortalitatis amiſſo, curſus eum mortalitatis abſorbuit. Cujus nos quia de propagine naſcimur, radicis amaritudinem, quaſi in virgulto retinemus. Eo ipſo quotidiano momento, quo vivimus, inceſſanter a vita tranſimus, & vivendi ſpatium, unde creſcere creditur, nobis decreſcit. Solicite iſta, qui conſiderat, ſemper bonum operabitur. Tempus enim, dum tranſit; etiam ſpatium merendi pertranſit.

PUNCTUM SECUNDUM.

CUrrendum; & agendum eſt modo, quod in perpetuum nobis expediat, quia tempus bene agendi amplius non erit. Tempus namque ſementis eſt præſens vita, quam currimus. In hac licet nobis, quod volumus ſeminare. Cum iſta vita tranſierit, operandi tempus aufertur. Unde Salvator dicit: Operamini, dum dies eſt; veniet nox, quando jam nullus poterit operari. Ortus eſt nobis Dei ſermo, Sol verus, & congregatæ ſunt beſtiæ recedentes in cubilia ſua. Procedamus ut homines ad opus noſtrum, & uſque ad veſperam laboremus. Hoc ipſum enim, quod dico,

co, quod ſcribo, quod lego, de tempore meo mihi aut creſcit, aut deperit. Condemnabit nos in judicio Titus filius Veſpaſiani. Hic, cum quadam nocte recordaretur, quod nil boni ea die feciſſet, dixit: diem perdidi. Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cum otioſum verbum loquimur, pro quo rationem reddituri ſumus in judicio?

PUNCTUM TERTIUM.

CUrrendum, & agendum eſt modo, quod in perpetuum nobis expediat ob inſtantem æternitatem. Damnati totum, ſi haberent mundum, darent pro eo tempore, quod tu perdis. Cœlites æternum gaudent de quovis momentò, quod bene impenderunt. O Religioſe! ſaltem modo diſce tempus bene impendere. A mane enim uſque ad veſperam ſucciditur peccator; dum a vitæ ſuæ exordio uſque ad terminum iniquitatis perpetratione vulneratur. Omni namque momento per augmentum malitiæ contra ſe ictus ingeminat, quibus ſuccisſus in profundum ruat. De talibus bene per Pſalmiſtam dicitur: Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Dies quippe dimidiare, eſt tempus vitæ malæ in voluptatibus ductum ad pœnitentiæ lamenta dividere, atque hoc ad bonum uſum partiendo reparare. Sed iniqui dies ſuos nequaquam dimidiant; quia perverſam mentem nec in extremo tempore immutant. Quod contra

bene Paulus nos admonet, dicens: Redimentes tempus; quoniam dies mali ſunt. Tempus quippe redimimus, quando ante actam vitam, quam laſciviendo perdidimus, flendo reparamus.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! tempus bene impendis; quia breve eſt? Suis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cœlo. An tempus bene impendis; quia poſt mortem bene agere non poteris? Fili! conſerva tempus, & devita a malo. An tempus bene impendis; quia inſtat æternitas? Non defrauderis a die bono, & particula diei bonæ non te prætereat. Dole, quod hucusque tempus tam male impenderis. Propone modo currere, & agere quod in perpetuum tibi expediet conſiderando

1. Brevitatem temporis,
2. Exſpirationem temporis,
3. Inſtantem æternitatem.

DIES

DIES XXIV.

De Hoſpitibus ſuſcipiendis.

Omnes ſupervenientes hoſpites tanquam Chriſtus ſuſcipiantur. Cap. 53. v. 1.

PUNCTUM PRIMUM.

TRia pro hoſpitibus ſuſcipiendis requirit SS. Pater. Primum eſt, ut *omnibus congruus honor exhibeatur, maxime domeſticis fidei, & peregrinis.* Item ut *pauperum, & peregrinorum maxime ſuſceptioni cura ſolicite exhibeatur: quia in ipſis magis Chriſtus ſuſcipitur: nam divitum terror ipſe ſibi exigit honorem.* O! quantus honor cuivis hoſpiti exhibendus non eſt; quando in ipſo non homo, ſed Deus homo honorandus eſt? *Ipſe dicturus eſt; hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me.* Hinc *Omnibus viventibus, ſive diſcedentibus hoſpitibus inclinato capite vel proſtrato omni corpore in terra, Chriſtus in eis adoretur, qui & ſuſcipitur.* Ingens demiſſio, ſed quanto major, tanto convenientior Monacho. Imo, quantilla cenſeri debet erga talem, tantumque hoſpitem? Fides ſane tibi defecerit, niſi omnem ei honorem exhibueris. Porro ſi hominem duntaxat in hoſpite honoraveris, meritum tuum exiguum, aut fere nullum erit.

Si Christum honorificabis in hospite, honorificabit & te Pater ejus, qui est in cœlis. Ne & tu, o Religiose! qui hospitibus excipiendis non deputaris, tanto honore defrauderis, exacte illud observa, ut semper *salutatis hospitibus humiliter, & petita benedictione pertranseas, si obviaveris, aut videris* Sic tam grandi retributione non carebis.

PUNCTUM SECUNDUM.

ALterum est, ut cum *nunciatus fuerit hospes occurratur ei a Priore, vel a Fratribus cum omni officio charitatis: Ut omnis ei exhibeatur humanitas: Ut jejunium frangatur propter hospitem; nisi sit præcipuus dies, qui non possit violari.* Hisce SS. Pater non solum affectum, sed etiam opus charitatis erga hospites commendat. Secutus est antiquos Patres, qui summo charitatis affectu adventantes ceu Christum ipsum susceperunt. Unde quidam amore hospitum sex, vel septies comedebat propter hospites de die, vel potius se comedere simulabat. Tanti æstimabant hoc opus charitatis, ut jejuniis, & cæteris suis sacris exercitiis semper prætulerint. Ajebant enim, charitatem non propter reliquas virtutes, sed reliquas virtutes propter charitatem implendas esse. O quanta charitate ergo excipiendus hospes non est, quando in hospite agnoscitur sui centrum amoris, & vox, ac vultus agnoscitur intus pulsantis, & vicissim invitantis. Per istam chari-

rita-

ritatem tantum quidam placuit, ut Angelorum Dominus ad hospitium ejus diverterit, dicens: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti. Ad mensas ergo nostras ante judicium Christum, si non semper actu, saltem affectu suscipiamus, ut ab eo suscipi ad æterna convivia valeamus.

PUNCTUM TERTIUM.

Tertium est, ut *legatur coram hospite Lex divina, ut ædificetur.* Plane ædificatio omni utilior honore, omni lautior erit convivio. Hospes non in corpore solum, sed & in anima reficiendus est. Et sane vix facilius quis convertitur, seu compungitur, quam quando verbis res ipsa jungitur, & charitate seu liberalitate animus præoccupatur. O quando nihil audiunt hospites in cœnobiis, quam de Deo, quam salutari sæpe sæculi tanguntur fastidio! & o quot millia ejusmodi Hospitalitas a sæculo abstraxit, in quibus ante prædicatorum sedulitas frustra laboravit! quam multum profecit Totila ex colloquio, & hospitio SS. Patris? Tibi, si non licet verbo, exemplo silentii ædifica. *Hospitibus nullatenus sociare: neque colloquere, dicens, non licere tibi colloqui cum hospite.* Sequeris Abbatem illum, qui plus suo silentio, quam alii verbo adventantes hospites ædificavit.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! in hospite Christum adoras? Et factum est, dum recumberet cum eis, cognoverunt eum. An in hospite Christum affectu, & opere amas? Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. An hospitem verbo, & exemplo ædificas? Lucerna pedibus ejus erit verbum tuum. Dole, quod hoc opus misericordiæ affectu, & opere exercere crebro omiseris. Propone

1. Christum in hospite adorare;
2. Christum in hospite amare;
3. Hospitem verbo, & exemplo ædificare.

DIES XXV.

De Fastidio rerum spiritualium.

Videant, ne forte inveniatur Frater accidiosus. Cap. 48. v. 17.

PUNCTUM PRIMUM.

NOn immerito SS. Pater Seniores spirituales deputat, ut *videant ne forte inveniatur Frater accidiosus.* Acedia enim est fastidium rerum spiritualium. O fastidium, tinea cordium, rubigo mentium, languor pessimus animarum! O fastidium, abominari facis bonum Dei verbum, contemnere

nere cœleste donum, fastidire manna continens omnem saporem Divinæ dulcedinis! Quæ enim lues tam tam pestifera, quis morbus tam lethalis, qui sic faciat hominem immemorem suæ salutis, ridentem, ac male securum appropinquare usque ad portas mortis? Nunc divinis interest laudibus, & odiosa, vel etiam perniciosa mente pertractat. Nunc sedet ad librum, & oscitat. Nunc verbum exhortationis audit, & ipso audito laborat: Verbo, quæ sancta sunt, ac salubria, fastidit. Et tamen male securus interitum, qui illi instat, non considerat. Lætus exspectat Judicem; quia gravia non perpetrat scelera. Sed nunquid sat grave scelus est, fastidire, quæ spiritum salvant? An vivere poterit, qui quotidie fame moritur.

PUNCTUM SECUNDUM.

Videant, ne inveniatur Frater accidiosus. Et unde inveniatur? Quomodo, qui spiritu cœpit, carne consummetur? Cur nunc, qui voluptuose vescebatur, in viis intereat? ah! cœpit esurire ollas carnium; sequi carnis sensualitatem; scurrilitate stultiloquii dissolvi. Quomodo gustum spiritualium rerum, quo, tam ubere reficiebatur, amittat? Cœpit libidinis, iræ, impatientiæ, superbiæ, & similium raptari furore passionum; atque linguam in verba ociosa, & detrahentia laxare. Quomodo in pascuis uberrimus esuriat? Cœpit minima spernere; hanc vel illam Regulæ

 trans-

transgreſſionem non curare ; ſenſum, non rationem, non fidem, non ſtatum ſuum attendere. Et quid mirum, quod ſola vox plangentis, ſi tamen plangere velit, illi relicta ſit : percuſſus ſum, ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum? Non poteſt calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſt menſæ Domini particeps eſſe, & menſæ dæmoniorum.

PUNCTUM TERTIUM.

Videant, ne inveniatur Frater accidioſus. Remedia quantocius ei præſcribenda ſunt, ne pereat. Primum ſit mortificatio inordinati amoris. Dici equidem non poteſt, quantum hic Amor Divini amoris dulcedinem imminuat. Solus quippe Deus, qui eſt ſummum, & perenne bonum, tamdiu non ſatiabit te, quamdiu a bonis infimis ſatiari cupics. Alterum ſit mortificatio paſſionum. Hæ rationem obnubilant; Spiritum vero Sanctum qui ſolus eſt cordis gaudium, contriſtant, expellunt. Deinde neceſſe eſt, ut per ignem, & aquam tranſeas in refrigerium. Tertium ſit fidelitas in minimis. Qui enim ſpernit modica, paulatim decidet. Et quo plus de gratia quotidie perdit, eo plus ſaporis amittet. O miſerum Monachum, qui iſta contra faſtidium rerum ſpiritualium media non ſemper ad manum habet? Etiam neſciens ſæpe in

nauſeam

nauseam earum declinabit. Primum vulnus deteget, cum vix vulneri remedium erit. Principiis obsta, sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras.

PUNCTUM QUARTUM.

AN non & tu, o Religiose! fastidis res spirituales? Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man. An agnoscis causas hujus fastidii? Desiderabat ventrem impleri siliquis porcorum. An media adhibes contra hoc jastidium? Euge! serve bone; quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Dole, quod in hoc fastidio plerumque tempus Religionis tuæ miserrime transegeris. Propone

1. Non fastidire res spirituales;
2. Causas hujus fastidii bene agnoscere,
3. Media contra illud semper in promptu habere.

DIES XXVI.

De Triplici Religiosorum periculo.

Memor periculi. Cap. 2. v. 21.

PUNCTUM PRIMUM.

NUllibi in hac vita securitas. Ubique pericula. Hinc monet SS. Pater Noster, ut quis sit *memor periculi*. Tria autem sunt præcipua pericula. Primum est, si Religiosus se æquare velit alteri. Per hanc superbiam votum obedientiæ contemnitur. Superiores vilipenduntur. Regula violatur. Dum enim audaciam in superbia sua assumit, nullum est præceptum, quod non transgredi præsumat. Contra hoc periculum jugiter orandum est cum Propheta: Ne veniat pes superbiæ: quoniam ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem. Semper humilitas obedientiæ exerceri debet, nisi quis velit a gratia Dei, & hominum excidere. Obedientia quippe Deo, & hominibus acceptabilis est. Pro! quot non a statu suo haud secus ac Lucifer a cœlo per unicam inobedientiam exturbati sunt? Tu time lapsum. In humilitate obedientiæ te conserva. Quietus semper vives, ac contentus in sacra Religione.

PUNCTUM SECUNDUM.

SIt *memor periculi.* Alterum nempe est, si Religiosus respicere retro incipiat; si res,

quas

quas semel dimisit, actu vel affectu resumat; si ad pristinas passiones, & vitia redeat. Constat enim de eo, qui mittens manum suam ad aratrum, postea retro convertitur; quoniam labitur statim, pristinum pelagus scelerum operit caput ejus, & non est aptus regno cœlorum. Contra hoc periculum paupertati spiritus semper incumbendum est. Nam qui volunt fieri divites, incidunt in laqueum Diaboli. Hæc vero sancta paupertas non solum affectum omnem ad res terrenas, sed & ad universa vitia penitus excludit. Imo affectum nullum ad ea, quæ paupertatis sunt, habet. Pro! quot non pereunt; quia retrospiciunt? Quam multi a primæva abrenunciatione declinant? Hinc est, quod tam multi sint vocati, pauci vero electi. Ut ex electis sis, constanter paupertatem spiritus amplectere.

PUNCTUM TERTIUM.

SIt *memor periculi.* Tertium equidem est, si Religiosus stare velit non quidem relinquens ordinem suum, sed proficere in eo dissimulans. Pons est Religio super mare hoc magnum, & spatiosum sæculi errectus. Per hunc semper incedunt, & succedunt Religiosi. Cadat ergo necesse est ab his, qui sequuntur, impulsus, & eversus, si stare voluerit. Arcta enim est via, & impedimento est proficere, & proficisci volentibus. Hinc est, quod jugiter arguunt, & reprehendunt, quod ferre

re nequeunt tepiditatis ejus segnitiem, quod velut quibusdam stimulis urgent, & impingunt manibus, ut unum necesse sit e duobus, aut proficere scilicet, aut prorsus deficere. Contra hoc periculum pœna corporis seu mortificatio assumenda est. Tunc enim Spiritus potens est ad currendum; quando caro infirmatur. Debilis vero est, ac lassus cum caro impinguatur. Impinguatus enim, ac dilatatus dilectus recalcitravit. Pro! quot conversionem morum ob carnis curam derelinquunt? Tu curre, tu propera; ne quando forte is, qui egressus est ut gigas ad currendam viam, longe a te fiat. Quem, si bene sapis providens in conspectu tuo semper, & in ejus odore tractus, per mortificationem carnis facilius, citiusque curres.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! vitas periculum, ne te aliis æques? Lucifer voluit similis esse Altissimo; sed non amplius inventus est locus ejus in cœlo. An vitas periculum, ne retrospicias? Qui retrospicit, mittens manum suam ad aratrum, non est aptus regno cœlorum. An vitas periculum, ne deficias? Currite, dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Dole, quod hucusque ista pericula non vitaveris. Propone illa fugere,

1. Humiliter omnibus obediendo;
2. Paupertatem Spiritus amplectendo,
3. Semper carnem mortificando.

DIES XXVII.

De Salutis negotio.

Modo agendum, quod in perpetuum nobis expediat. Prolog. v. 32.

PUNCTUM PRIMUM.

O Salutiferum SS. Patris Nostri de Salutis negotio præceptum! *Modo est agendum, quod in perpetuum nobis expediat.* Rumpendæ sunt moræ, ubi faciendum est, quod in perpetuum expediat. Quid enim tardes, o Religiose! ipsum, quem jam dudum conceperas spiritum parturire salutis? Nil mortalibus vel morte certius, vel incertius hora mortis. Siquidem tanquam fur in nocte, ita veniet. Væ prægnantibus in illa die. Si superveniret, & prævenerit hunc tam salutiferum partum: Heu! perfodiet domum, sanctum germen extinguet. Cum enim dixerint, pax, & securitas; tunc repentinus superveniet eis interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient. Eja ergo festina negotium salutis tuæ agere. Omnes moras rescinde, qui nec diem hic habes securum.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

MOdo eſt agendum, quod in perpetuum nobis expediat. Nihil cogitandum præter ſalutis negotium. A tua ſalute conſideratio tua inchoet, ne fruſtra extendaris in alia, te neglecto. Quid tibi prodeſt, ſi mundum univerſum lucreris, te unum perdens? Noveris omnia; ſi tuam ſalutem neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento, ruinam non ſtructuram faciens. Quocunque cogitatio tua evagetur, ad tuam ſalutem revocaveris eam cum fructu. In acquiſitione enim ſalutis nemo tibi germanior eſſe debet unico matris tuæ. Contra ſalutem tuam cogites nihil. Quicquid ſe conſiderationi offerat, quod non quoquo modo ad tuam ipſius ſalutem pertineat, reſpuendum. O Frater, cui firma ſatis propria ſalus nondum eſt, & quomodo alienam curare ſaltem ſatagis? Prius de ſalute tua cogita, antequam alios, ut de ſua cogitent, inſtruas. Si enim tu tibi nequam, cui bonus eris.

PUNCTUM TERTIUM.

MOdo eſt agendum, quod in perpetuum nobis expediat. Omnia gravia attentanda ſunt propter negotium ſalutis. Quid enim grande eſſe poteſt in præcepto, ubi ſalus eſt in promiſſo? Hinc bene ille Naaman conſuluit, qui dixit: Pater, etſi rem grandem tibi

dixiſſet

dixiſſet Propheta, certe facere debueras. Fidele prorſus verbum, rationis, & ſapientiæ plenum: quippe ſuggeſtio eſt rationalium hominis ſenſuum, quos ſibi Deus teſtes retinuit adverſus hominem ipſum. Pater, inquiunt, etſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certe facere debueras. Non credere namque Prophetæ, Dei eſt injuria: non tentare omnia pro ſalute, odium eſt ſuiipſius, & invidia. Ah! quidnam grande videri debeat vel difficile, quod præceptum eſt ad ſalutem æternam? Hoc ſi agam: me exſpectant juſti; donec retribuas mihi. Iſtud, ſi non agam: me expectaverunt peccatores, ut perderent me. Hinc mihi gehenna; inde corona paratur: & inter hanc, atque illam medium nugari libeat, oſcitari delectet? Prorſus omnia attentanda ſunt propter ſalutis negotium.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religioſe! maturas ſalutis negotium? Nunc dies ſalutis. An nihil cogitas præter ſalutis tuæ negotium? Sancta iſta, & ſalubris eſt cogitatio. An omnia attentas propter ſalutis tuæ negotium? Hoc unum eſt neceſſarium. Dole, quod tam negligenter ſalutis tuæ negotium hucusque egeris. Propone

1. Salutis tuæ negotium maturare,
2. Præter illud nil aliud cogitare,
3. Propter illud omnia attentare.

DIES XXVIII.

Quod neglectus Divinæ Præsentiæ omnium scelerum sit causa.

Dei oblivionem omnino fugiat. Cap. 7. gr. 1. v. 9.

PUNCTUM PRIMUM.

NIhil sic sceleratum facit, ut oblivio Dei præsentis. Unde SS. Pater suum discipulum monet: *Dei oblivionem omnino fugiat.* Fides annullatur. Sicut enim de fide, qua Deus præsens esse creditur, timor salubris nascitur: ita cum minime creditur præsens esse, omnibus malis fræna laxantur. Cur namque corrupti, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus? Nisi quia dixit ille generalis insipiens in corde suo, non est Deus. Ubi semel fides de præsentia Dei extincta est, ibi pura corruptio carnis, ibi mera abominatio superbiæ invenitur. O Religiose! cave ergo summopere, ne fidem Dei præsentis unquam amittas.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

D*Ei oblivionem omnino fugiat.* Fides per oblivionem Dei præſentis ficta efficitur. Doloſe quippe agit in conſpectu ejus, qui diſſimulat, quod novit invitus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium Merito prorſus doloſus ad odium. Qui ignorantiam Dei non habet, ſed odium. Quomodo enim non odit Deum, cujus declinat aſpectum, contemnit imperium, vellet non eſſe judicium? Ignorans quidem ignorabitur; odiens autem, & odietur. Ille reprobabitur veritate judicii, in iſtum vindicabitur ſeveritate odii. Et juſte. Se ſcire Deum, vel ſciri a Deo diſſimulat: dum ſciens, & prudens, imo imprudens, & impudens ſub oculis ejus peccat. Putas enim, filius hominis, ſi nunc veniret, inveniret fidem præſentiæ ſuæ ſuper terram? Nunquid fidem hanc reputaret fictam negligentium, & contemnentium, qua levius damnat cæcitatem infidelium, qua meliorem judicat credulitatem Dæmonum? Dæmones credunt, & contremiſcunt; homines credunt, nec contremiſcunt. Dæmones, quem credunt, verentur; homines dum, quem credunt, nec timent, nec verentur, gravius de contemptu Divinæ præſentiæ judicantur. O Religioſe! ne doloſe agas, ut inveniatur iniquitas tua ad odium.

PUNCTUM TERTIUM.

D*Ei oblivionem omnino fugiat.* Fides per oblivionem Dei præſentis mortua efficitur.

Fides namque eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Hæc eſt fides, quæ per dilectionem operatur. Unde ſi fides Divinæ præſentiæ non ita operetur, mortua eſt. Fides enim ſine operibus mortua eſt. Hæc eſt fides, de qua ſuadente conſcientia meritorum naſcitur ſpes æternorum bonorum. Hinc ſi meritis fides Divinæ præſentiæ careat, mors depaſcet eam in æternum. O Religioſe! qualis eſt fides tua de Divina præſentia? An viva? An mortua? Ah! noli oblviſci Dei præſentis. Nullum erit præceptum, quod non contemnas.

PUNCTUM QUARTUM.

AN non ergo, o Religioſe! quia amiſiſti fidem Divinæ præſentiæ, in omnia ſcelera lapſus es? Non eſt timor Dei ante oculos ejus. An non, quia fictam duntaxat habes fidem Divinæ præſentiæ, iniquitas tua crevit usque ad odium? Doloſe egit in conſpectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. An non; quia mortuam habes fidem Divinæ præſentiæ, in profundum ſcelerum veniſti? Periit fides de terra. Dole, quod exercitium Divinæ præſentiæ tam parum curaveris. Propone

1. Fidem Dei præſentis nunquam amittere,
2. Nec fictam,
3. Aut mortuam ſolum habere fidem Ejusdem præſentiæ.

DIES XXIX.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

De Fortitudine, Constantia, & Efficacia Boni propositi.

Modo agendum est. Prolog. v. 32.

PUNCTUM PRIMUM.

SAnctus Michael unus e primis cœli principibus superavit Luciferum, & asseclas ejus, qui renuebant Deum Hominem adorare, atque ejus Matrem venerari. Forte concepit propositum Deo suo adhærendi, ejusque mandata observandi. Fortitudine nempe opus est ad concipienda bona proposita. De his ait SS. Pater: *modo agendum est*, id est, modo tanta fortitudine sancta proposita facienda sunt, ac si statim perficienda forent. Si enim adhuc sæpius peccamus, quando firmiter, & multipliciter proponimus; quid fieret, si raro, aut nunquam proponeremus. Et si adhuc sæpius virtutem negligimus; quando firmiter eam proponimus; quid fieret, si nunquam aliquid certi nobis proponeremus. Quanto enim fortiora proposita concipimus, tanto fallacius, & fortius Diabolus insistit, ne ad effectum deducantur, Ipsemet testis esto, quot tibi non bona pro-

posita sive de examine contra vitia, sive de meditatione pro virtutibus interierunt? Quare perierunt? Ab initio non satis fortia erant. Aqua tepida ab igne semota, mox frigescit; & bonum propositum ab initio imbecille statim evanescit.

PUNCTUM SECUNDUM.

SAnctus Michael cum suis asseclis constanter in suo proposito perseverabat, nec ullis Luciferi rationibus se permittebat ab eo avelli. Ita *modo agendum est*; modo, hoc est, constanter inhærendum est suo proposito, ut nihil illud impediat bene terminari, quod in bono initio non potuit impediri. Non interrumpat frigus. Electi enim aliquando tanto frigore torquentur, ut nec orare, nec legere, nec operari liceat. At nolentes etiam piis operibus insistant, & mox vires animæ reparabuntur. Non corrumpat calor. Electi namque subinde tanto sensuum calore incenduntur, ut vix se continere possint, quin non ad externa per scurrilitatem oris, aut delectationem sensus defluant. At ad mortificationem eo constantius incumbendum est; quanto acrius propositum nostrum caro impugnat. Tu si nec acedia, nec delectatione sensus permitteris a tuo proposito avelli, semper constans in eo perseverabis.

PUNCTUM TERTIUM.

SAnctus Michael demum propositum suum opere complevit; quando cum suis Angelis

lis Deum Hominem humillime adoravit, atque hoc uno verbo, quis ut Deus? Apostatas spiritus cum suo Duce e cælo æternum proscripsit. Non sufficit propositum fortiter concipere, & constanter in eo perseverare; nisi opere & efficaciter impleatur. Hinc SS. Pater ait: *modo agendum est*, hoc est, modo opere complendum est, quod bene, & salubriter propositum est. Pro! quoties cogitas mores tuos corrigere? Quamdiu jam in hoc proposito fuisti? Proponis quidem hoc fortiter, & constanter, sed tamen nullus sequitur effectus. Imo etiam, si quando incipis, sic misere desinis, ut ab inimicis tuis jure tibi dicatur: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Quo vero longius tardas opere implere, quod proposuisti; eo magis vires Divinæ inspirationis, & gratiæ S. Spiritus amittis. Et quo citius & crebrius bona proposita effectui mancipas, eo ampliores gratias eadem exequendi acquiris. Sane hæc ratio unica est, cur tam pauci ad perfectionem vocationis suæ perveniant.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, o Religiose! ad exemplum S. Michaelis fortiter bona proposita concipis? Quis ut Deus? An constanter bona proposita incipis, prosequeris? Quis ut Deus? An efficaciter bona proposita opere comples? Quis ut Deus? Illi soli servire oportet. Dole, quod has conditiones boni propositi hucusque habere non studueris. Propone

1. Fortiter bona propoſita concipere.
2. Conſtanter incipere, ac proſequi.
3. Efficaciter opere complere.

DIES XXX.

Recollectio Menſtrua.

Æſtimet ſe homo de cœlis ſemper a Deo reſpici omni hora, & facta ſua in omni loco ab aſpectu Divinitatis videri, & ab Angelis omni hora renunciari. Cap. 7. §. 2. v. 12.

PUNCTUM PRIMUM.

SI ullo in pio exercitio SS. P. N. ſe exercuit, præſentiam Dei in illa ſolitudine Sublacenſi exercuit. Hac quippe omni hora ſe excitavit ad obligationes ſtatus ſui rite adimplendas. Tu ſaltem hodie eundem imitare. *Æſtima te de cœlis ſemper a Deo reſpici omni hora, & facta tua in omni loco ab aſpectu Divinitatis videri, & ab Angelis omni hora renunciari.* Primo igitur in conſpectu Dei, & SS. Angelorum conſidera, quomodo hoc menſe te habueris erga Deum. An Deum offendere timuiſti ob conſiderationem æternitatis gehennæ? Ite maledicti in ignem æternum. An diem Dominicum Deo Creatori, Redemptori, & Sanctificatori tuo conſecrare ſtuduiſti? Maxima in eo beneficia a Deo accepiſti. An oblivionem Divinæ

præ-

præsentiæ fugisti? Non est timor ante oculos ejus. Pro! quam graviter omni hora oculos Dei, & SS. Angelorum per hunc mensem offendisti?

PUNCTUM SECUNDUM.

ÆStima te semper a Deo respici, & facta tua in omni loco ab aspectu Divinitatis videri, & ab Angelis omni hora renunciari. Hinc recogita, qualiter in conspectu Divinitatis, & SS. Angelorum obligationi erga Religionem satisfeceris. An triplici obligationi status tui, promovendæ scilicet gloriæ Dei, salutis tuæ, & proximi satisfacis? Tota Regula istud præcipit. An non negligens es in usu rerum Monasterii? Sordes in rebus divinis totam Religionem dehonestant. An jejunia libenter observas? Nunc ergo dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & planctu. An nihil operi Dei præponis? In Psalmodia promptuarium omnium bonorum reperitur. An devote opus Dei extra chorum peragis? Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter. An non comedis extra tempus, aut foris? Elias, quia ex jussu Angeli comedit panem subcinericium, ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei. An Officium Cantoris rite imples? Obedientia Psalmodiæ conciliat saporem. An horis incompetentibus non accedis Fratrem? Qui nescit linguam suam refrænare, hujus vana est religio. An silentium post completorium diligenter observas? Non

eſt poteſtas tenebrarum harum. An lectioni ante completorium ſemper intereſſe ſoles? SS. P. omnibus omnino eandem præcipit. An ordinem Diei exacte obſervas? Voluntas Dei ſanctificatio noſtra eſt. Pro! quam indigna de ſtatu tuo Religioſo Angeli tui Deo renunciare debuerunt!

PUNCTUM TERTIUM.

ÆStima te ſemper a Deo reſpici & facta tua ab aſpectu Divinitatis videri, & ab Angelis omni hora renunciari. Ideo te recollige, qualiter in conſpectu Dei obligationi tuæ erga proximum ſatisfeceris. An compaſſus es Fratri delinquenti? Ergo peribit Frater tuus infirmus, pro quo Chriſtus mortuus eſt. An compaſſive arguiſti Fratrem delinquentem? Inſtrue eum in ſpiritu lenitatis. An compaſſive oraſti pro Fratre delinquente? Orate pro invicem, ut ſalvemini. An in hoſpite Chriſtum adoraſti, & ſuſcepiſti? Hoſpes ſui, & ſuſcepiſtis me. Pro dolor! quantum non Deo diſplicuiſti, quem tam male in proximo præſentem tractaſti!

PUNCTUM QUARTUM.

ÆStima te ſemper a Deo reſpici, & facta tua ab aſpectu Divinitatis videri, & ab Angelis renunciari. Proinde penſa, qualiter obligationi tuæ erga teipſum in conſpectu Dei ſatisfeceris. An maturas ſalutis tuæ negotium? Nunc dies ſalutis. An fortiter, conſtanter,

ter, & efficaciter proponis? juxta propoſitum tuum erit & profectus tuus. An renuncias cupiditati vitæ tuæ? Niſi quis renunciaverit omnibus, non poteſt meus eſſe diſcipulus. An non es turbulentus? Diſcite a me; quia mitis ſum, & humilis corde. An non tardus es? In operibus tuis eſto velox. An non faſtidis res ſpirituales? Anima noſtra arida eſt. An probas humilitatem tuam? Humilis ponit ſe ad infimum locum. An diſcretionem obtinere ſtudes? In ſenibus prudentia eſt. An tempus bene impendis? Suis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cœlo. Pro! quantum Angelos præſentes contriſtaſti, dum eorum ſalutaribus inſpirationibus reſtitiſti. Dole, quod obligationibus tuis in præſentia Dei, & SS. Angelorum non ſatisfacere ſtudueris. Propone meliora, & per veram pœnitentiam ſatisfacere ſtude.

INDEX
MEDITATIONUM P. III.

JULIUS.

XVII.

AUGUSTUS.

XXVII.

SEPTEMBER.

U I O G D.